This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



QUAESTIONES SYMMACHIANAE.

SCRIPSIT

OTTO KOREN.

VINDOBONAE.
PROSTAT APUD C. GEROLD FILIUM.
1874.

141. c. 178.

INDEX:

1. de Symmachi vita p. 2.
2. de Symmacho antiquae religionis defensore p. 12.
3. de relatione pro ara Victoriae p. 16.
4. de Symmachi scriptis p. 26.
5. de Symmachi latinitate p. 39.

TYPIS C. GEROLD FILII.

Quaestiones Symmachianae.

Scripsit

Otto Koren.

Saeculum quartum p. Ch. n. insignitum est religione christiana praevalente, cum iam Constantinus Magnus, maxime vero qui post eum imperii gubernacula tenebant Gratianus, Valentinianus, Theodosius priscum deorum cultum sensim represserint, summos in civitate honores Christianis attribuerint, ipsi suo quodammodo iure id sibi vindicaverint, ut religionis cultui incorrupto atque integre servando providerent. Hoc rerum statu litteras quoque infectas esse facile intelligitur. Nam cum provinciae fere omnes essent perturbatae certamine inter Christianos veterumque deorum cultores exorto, ipsique Christiani in varias sectas divulsi vehementissime se invicem dilacerarent, exteri insuper populi e terris septemtrionalibus commoti in dies magis urgerent, saepius ipsos imperii fines perrumperent, qui tandem fieri poterat, ut in tanta rerum omnium perturbatione artes atque litterae florerent. Si Christianos exceperis, quibus materia de qua agerent dogmatica imprimis nunquam uberior proposita erat et quorum ingenia summa in ipsam eam incidunt aetatem, litterae aliquamdiu substitisse videntur, donec priore saeculi parte fere iam elapsa scriptores aliquot et Romani et Christiani rursum existerent. Cumque e paganorum partibus gens Symmachiorum per plures deinceps aetates praestantissimum in re publica locum obtinuisset, non displicebat de Q. Aurelio Symmacho agere, qui celeberrimae familiae omnium consensu facile princeps honorum gradus assecutus esset summos idemque veteris Latii deos et semper coluisset et contra Christianorum impetum irruentem forti animo defendisset simulque oratoris elegantissimi, scriptoris suavissimi egregias apud omnes laudes adeptus esset. Singulis igitur lapillis studiose collectis effigiem restituere conabamur eius viri, quo nemo saeculo quarto inter paganos auctoritate gravior erat, nemo maiorem gloriam vel publicam vel litterarum sibi paraverat.

I. De Symmachi vita.

Ortus est Symmachus gente celeberrima, cui civitas Romana multos summosque debebat viros. Nobis reliquis neglectis commemorandus videtur pater eius, de quo sumus scripturi, L. Aurelius Avianius Symmachus, qui quot quibusque honoribus functus sit ex inscriptione vetere colligas, quae in Orellii inscriptionum latinarum corpore habetur 1186: „Phosphorii Lucio Aur. Avianio Symmacho v. c. praefecto urbi consuli propraefectis praetorio in urbe Roma finitimisque provinciis praefecto annonae urbis Romae pontifici maiori quindecimviro s. f. multis legationibus pro amplissimi ordinis desideriis apud divos principes functo, qui primus in senatu sententiam rogari solitus auctoritate prudentia atq. eloquentia pro dignitate tanti ordinis magnitudinem loci eius impleverit, auro inlustrem statuam quam a dominis angustisq. nostris senatus amplissimus decretis frequentibus inpetrabit (sic) idem triumfatores principes nostri constitui adposita oratione iusserunt quae meritorum eius ordinem ac seriem contineret, quorum perenne iudicium tanto muneri hoc quoque addidit, ut alteram statuam pari splendore etiam apud Constantinopolim conlocaret, (dedi) cata III. kal. Maias (D. N.) Gratiano IIII. et Merobaude (cos.)".

Quamquam series honorum, quibus functus est, tanta apparet, raro tamen eius mentio apud veteres fit. Praefecturam urbanam in annum 364. incidisse ex cod. Theod. cognoscimus. Legationum, quas multas ille obiit, memoria periit, una excepta, quam ad Constantium factam Ammian. Marc. 21, 12, 24 commemorat: „Ibi (apud Naessum) Symmachum repertum et Maximum, senatores conspicuos, a nobilitate legatos ad Constantium missos exinde reversos honorifice vidit". Eiusdem legationis Libanius meminit in epistola ad Symmachum missa, ubi Symmachum ait cum tribus senatoribus Antiochiam venisse, in qua urbe tum Constantius commorabatur; Symmachum reliquis omnibus praestitisse omniumque oculos in se convertisse cum propter reliquas virtutes tum ob eloquentiam; quae legatio fuisse videtur Valentiniano et Valente coss. a. 365. Alter etiam habetur locus apud Ammian. Marc., quo privatum quoddam factum ad Symmachum patrem pertinens attingitur 27, 3, 3: „Multo tamen ante quam hoc contingeret Symmachus Aproniano successit inter praecipua nominandus exempla doctrinarum atque modestiae, quo instante urbs sacratissima otio copiisque abundantius solito fruebatur: et ambitioso ponte exsultat atque firmissimo, quem condidit ipse et magna civium laetitia dedicavit ingratorum, ut res docuit apertissima, qui consumptis aliquot annis domum eius in transtiberino tractu pulcherrimam incenderunt, ea re perciti, quod vilis quidam plebeius infixerat, illum dixisse sine iudice ullo vel teste, libenter se vino proprio calcarias extincturum, quam id vendi-

turum pretiis, quibus sperabatur". Id accidisse filius quoque refert initio orationis pro Trygetio habitae, unde intelligitur, Symmachum gravi hac plebis offensa laesum rus decessisse ibique animum litterarum studiis exhilarasse, senatum vero tanti viri absentiam non tulisse, sed summos nobilissimosque viros ad eum legatos misisse, qui ut Romam rediret eum exorarent. Idem narratur Ep. 1, 44*).

Ex iis, quae pauca modo protuli, iam cognoscitur, Avianium Symmachum publicis honoribus summis ornatum non minus litterarum gloria excelluisse. Inter oratores certe habebatur celeberrimus, quamquam nobis accuratius in id inquirere non licet, cum orationum ne fragmenta quidem minima servata sint. Ad reliquas litterarum laudes illustrandas multum iuvamur epistola una, quam ad filium misit, et nonnullis, quas filius ad eum dedit, quae etiam superstites in epistolarum libro primo habentur primae. Hinc cognoscimus, eum otiantem arti poeticae quoque operam dedisse, nam in ep. 1, 2 haec habentur verba ad filium scripta: „inveni, quod illis libris, quos nuper dictaveram, possimus adiicere. Scis Terentium, non comicum, sed Reatinum illum Romanae eruditionis parentem hebdomadon libros epigrammatum adiectione condiisse. Illud nos, si fors tulerit, conamur imitari". Eius generis epigrammata feruntur quinque etiam in eadem epistola hexametro versu exarata. Quanti a filio factus sit, documento sunt verba laudabilius certe quam verius composita in ep. 1, 3: „Unus aetate nostra monetam latiaris eloquii Tulliana incude finxisti. Quicquid in poetis lepidum, apud oratores grave, in annalibus fidele, inter grammaticos eruditam fuit, solus hausisti, iustus heres veterum litterarum .... apprime calles epicam disciplinam, non minus pedestrem lituum doctus inflare ... orandi aeque magnus et canendi". De epigrammatis ipsis agit ep. 1, 4: „Studium quidem Menippei Varronis imitaris, sed vincis ingenium. Nam quae in nostrates viros nuper condis epigrammata, puto hebdomadon elogiis praenitere, quod haec aeque sobria, nec tamen casca sunt. Illa bono metallo cusa torno exigi nescierunt. Et duriorem materiam nisi fallor adniteris. Ille Pythagoram, qui animas in aeternitatem primus asseruit, ille Platonem, qui deos esse persuasit, ille Aristotelem, qui naturam bene loquendi in artem redegit, ille pauperem Curium, sed divitibus imperitantem, ille severos Catones, gentem Fabiam, decora Scipionum, totumque illum triumphalem senatum parca laude perstrinxit, tu ruinam proximae aetatis illuminas. Difficile factu est, ut honor angustis rebus addatur". His locis etsi libenter concedimus patris laudem a

*) Symmachi epistolarum usus sum editione ea, quae a Jo. Phil. Pareo procurate prodiit Neapoli Nemetum a. 1617.

filio aliquanto maiore quam dignum erat studio elatam esse, tamen perspicitur eum, cum ab officiis publicis remotus otio frueretur, litteris incubuisse et in omni fere earum genere curam posuisse. Idem Libanius testatur, qui in epistola ad Symmachum data de patre ita iudicat: *ἀγαθῶν ἀμείνων δεικνύμενος ἔν τε τοῖς ἄλλοις καὶ ἐν ἐξετάσει λόγων, ὃ μὲν καὶ τρέχειν εἰς αὐτὸν καθ' ἡμέραν ἔπεισε· καὶ ἡμεν ἐν τῷ τι λέγειν ἀεὶ τῶν παλαιῶν, ὧν ὁ τόκος παιδεία τοῖς ἄλλοις.*

At iam ad Q. Aurelium Symmachum devenimus, in cuius vita cum alia nonnulla obscura sunt, tum ipse annus natalis accurate definiri nequit. Coniecturam igitur facturis non incommode cadit comparatio cum Libanio, qui cum Symmachi patre non amicitiae modo familiaritate studiorumque societate iunctus, sed aetate quoque non dispari fuisse videtur. Quod si rationem consideraverimus, qua Libanius, quem a. 314. natum esse constat, a. 365., quo Avianius Symmachus legatione functus est, de eius filio verba facit, hunc tum temporis admodum etiam invenem fuisse putabimus. Cum vero Symmachus eodem anno 365. Lucaniae et Brittiorum corrector fuerit, annus natalis statuendus est fere 340. Reliqua certe, quae de eius vita innotuerunt, cum hoc anno facillime conciliantur. Ubi natus sit, quamquam ne id quidem usquam commemoratur, tamen totius gentis romanae splendor id exposcere videtur, ut eum Romanum dicamus. Patre ortus, cui non modo divitiae ad vitae cultum amoenissimum suppetebant ingentes, sed qui ipse summis honoribus functus nullius fere litterarum generis expers erat, non est dubitandum, quin summa cura et qua fieri poterat optima ratione educatus sit. At quamquam ex ipsius epistolis cognoscimus, tum quoque temporis „erudiendis nobilibus philosophos praeceptores ex Attica posci“ in usu fuisse, ille tamen non Romae educatus, non graecis philosophis docendus traditus est, sed in Gallia, ubi ea aetate plurimae urbes summa litterarum laude celeberrimisque scholis rhetoricis florebant, erudiebatur. Testis ipse est, qui ep. 9, 88 scribit: „Fatendum est, amice, Gallicanae facundiae haustus requiro; non quod his septem montibus eloquentia latiaris excessit, sed quia praecepta rhetoricae pectori meo senex olim Garumnae alumnus immulsit. Est mihi cum scholis vestris per doctorem iusta cognatio. Quicquid in me est, quod scio quam sit exiguum, coelo tuo debeo. Riga nos ergo denuo ex illis Camenis, quae mihi lac bonarum artium primum dederunt. Et si te in meis scriptis aliquid offenderit, auditorem quondam popularis tui aut silentio tuere aut tu quoque rursus institue“. Quibus verbis aperte indicatur, eum Burdigalae, quae urbs litterarum laudibus prae reliquis Galliae scholis rhetoricis imprimis eminebat, litteras excoluisse, ipso, nisi omnia me fallunt, magistro usus Ausonio, qui iam tum omnium hominum fama celebrabatur et idem dignus visus est,

cui Gratianus instituendus committeretur. Omnia certe, ut id statuamus, suadere et cogere videntur, locus, tempora, amicitia per totam vitam pie servata. Nam Ausonium Burdigalae rhetoricen docuisse et, cum natus esset a. fere 310. Symmachum aetate multum superasse, inter omnes constat; de amicitia, qua ambo singulari devinciebantur, infra etiam suo loco dicemus. Tirocinium militare admodum invenis meruit in comitatu Valentiniani, cum is oppida in limite Rheni construeret. Praestantissimum hac de re indicium est Ausonii, qui ad Symmachum scribit ep. 1, 32: „Et expertus es fidem meae mentis atque dictorum, cum in comitatu degimus ambo aevo dispari, ubi tu veteris militiae praemia tiro meruisti, ego tirocinium iam veteranus exercui". Cf. etiam ep. 1, 14 et laud. Val. 2, 6. Neque vero diutius rei militari intentus fuisse videtur, cum nusquam amplius eius mentio occurrat.

Cum ad reliquam Symmachi vitam enarrandam accedamus, prima commemoranda est inscriptio, quae in Orellii corpore habetur 1187: „Eusebii Q. Aur. Symmacho v. c. quaest., praet., pontifici maiori, correctori Lucaniae et Brittiorum, comiti ordinis tertii, procons. Africae, praef. urb., cos. ordinario, oratori disertissimo Q. Fab. M. Symmachus v. c. patri optimo". Iam ex hac honorum enumeratione intelligitur, gradum fere non esse dignitatis, ad quem ille non pervenerit. Inscriptio votiva est a filio patri dicata. Qui praefixus est Eusebius certe erat inter Symmachi familiarissimos; eum hoc loco nominatum esse inde explicabis, quod usus increbuit, ut ante nomen eius, ad quem inscriptio pertinebat, unus ex amicissimis eius praefigeretur, cui artissime coniunctus ita significaretur.

Dicitur vir clarissimus, quod cognomen omnium illa aetata senatorum legitimum erat. Cf. Ael. Lamprid. Alex. Sever. c. 21: „praefectis praetorio suis senatoriam addidit dignitatem, ut viri clarissimi et essent et dicerentur". Ut alia taceam, eodem eum cognomine Ambrosius appellat initio ep. 18.

Quaesturae notitia omnis periit.

Praeturae bis in epistolis meminit 8, 14 et 9, 32, neque vero inde quicquam edocemur.

Pontificem maiorem se etiam ep. 1, 47 appellat.

Lucaniae et Brittiorum corrector erat a. 365., ut ex cod. Theod. 8, 5, 25 cognoscitur.

Comes ordinis tertii honoris titulus est plurimi factus et inde a Constantini aetate receptus, quo et publicis magistratibus functi et qui imperatorum aulae adscripti erant ornari solebant. Tres distinguebantur gradus: comites ordinis primi, secundi, tertii.

Proconsulatu Africae functus est a. 373. Cf. cod. Theod. 12, 1, 73. In qua provincia administranda popularium animos summe sibi conciliasse videtur, ut ex ep. 8, 5 intelligas:

„Essent mihi gratae litterae tuae vel si nihil de meis apud Africam meritis ac laudibus continerent. Nam ut mihi decus aliquod, ita tibi pro mutua amicitia gaudium praestiterunt". Quanto amore huic provinciae postea etiam deditus atque devinctus fuerit, cognoscas ex epp. 2, 63; 10, 2. Immo si ep. 9, 115 comparatur cum ea, quam modo attigi 8, 5, verisimile fit, a provincialibus ei statuas erectas esse, quibus amorem suum atque studium significarent.

Praefectura urbana cadit in a. 384., quae quamquam multis rebus egregie gestis adeo illustris facta est, ut anni significationem accuratiorem addere iam supervacaneum videatur, tamen quo regligentiae culpam vitemus hic quoque te relegamus ad cod. Theod. 1, 6, 9; 4, 17, 4; 11, 30, 44. Decessorem in hoc magistratu habuit Anthemium Bassum (ep. 10, 40). Cumque reliquorum honorum, quibus Symmachus functus est, exigua modo notitia ad nos pervenerit, annus, quo ille praefecturam urbanam suscepit, multas ob causas tam celeber et illustris factus est, ut rerum indices nobis in promptu sint sat frequentes. Singula suo quaeque loco commemorabimus.

A. 391. consul erat collegamque habuit Tatianum, ut ex cod. Theod. cognoscas et inscriptio testatur, quae est apud Orellium 6041.: „Fa. (corr. Ta.) Simma. coss.," id est: Tatiano et Symmacho consulibus. Ipse huius honoris mentionem facit in epp. 3, 62; 5, 15; 9, 130.

Quamquam iam ex magistratuum et numero et dignitate quanti Symmachus habitus sit plane apparet, alia etiam accedunt testimonia, quibus ad summam eum honorum magnitudinem ascendisse aperte edocemur. Inter senatores omnium consensu principem obtinuit locum, et cum de gravioribus quibusdam rebus agebatur ne eius consilio carerent absentem ipsum advocabant (ep. 2, 57), legationum, quae nonnunquam ad imperatores mittendae erant, curam et honorem ei deferebant (ep. 5, 95), idem ab imperatoribus cusulendus arcessebatur (ep. 3, 52), eique itinera publica imperabantur, quin Gratianus ipse, laetissimas cum ad senatum scripsisset litteras, qui eas recitaret Symmacho digniorem habuit neminem.

Is, summo Romanorum gloriae ardore flagrans, ut virum decebat priscae antiquitati unice deditum, litteris patriis imbutum, antiquae religionis defensorem, maiorum moris servantissimum, Romani nominis memoriam sanctam servare atque tueri studebat, Romam „venerabilem" (ep. 8, 27), quae per tot saecula sola in orbe terrarum dominata iam a summo potentiae et gloriae fastigio declivis ferebatur, raro ab imperatoribus visa et Constantinopolim sororem nacta potentiorem, tamen eliamtum „commune imperii caput" appellat (ep. 4, 28), let cum Theodosius post victoriam de Sarmatis reportatam triumphum Romae egisset iam antiquitatis memoria perculsus gloriabundus haec mittit verba (ep. 10, 68): „Iam minores

non sumus vetustatis exemplis. Vidimus quae acta miramur, catenatum agmen victae gentis induci, illosque iam pridem truces vultus misero pallore mutatos. Stetit arenae medio subiecta voluptati, quae fuit ante formidini: assuetae armis gentilibus manus gladiatoria instrumenta tenuerunt. Felicem nimis belli istius ducem, qui divinae clementiae vestrae fretus auspiciis ex numero hostium alios ad securitatem provinciarum penitus extinxit, alios ad laetitiam plebis Martiae reservavit." Et cum in prisca republica senatus auctoritas fuerit summa, Symmachus huius potissimum ordinis honori et laudi studuit eique certe ea ante oculos versabatur species, quam Cicero paucis circumscripsit verbis, cum senatum vocaret orbis terrae sanctissimum gravissimumque consilium. Et quamquam temporum vices vix ullo in ordine tam manifesto apparebant atque in senatu ipso, qui pristinae dignitatis vix umbram servaverat, tamen ipsas prioris gloriae reliquias anxie defendit Symmachus, laudibus senatus augendis egregiam navat operam, si quid accidit, quo eius auctoritas infringeretur, vehementer dolet (epp. 6, 22; 10, 14), in privilegiis ordini servandis maximam ponit curam (epp. 5, 62; 5, 65).

Neque vero adeo erat occoecatus, ut reipublicae statum, qualis olim fuerat, totum restituendum putaret. Tempora prorsus mutata esse novamque aetatem novis egere institutis optime perspexit. Idcirco imperatores non ea modo, quae iusta viroque urbano digna erat, observantia coluit, sed ultro eis totus obligatus veraque et stabili amicitia devinctus nusquam eorum mentionem facit, quin maxima devotione summisque laudibus eos efferat. Ut taceam appellationes iam usu pervulgatas, velut eum Valentinianum dicit „omni aetate memorabilem principem" (ep. 9, 131), „venerabilem patrem patriae" (ep. 3, 82) et quae alia eius generis in epistolis habentur plurima, at in panegyricis, quorum fragmenta etiam extant, imperatorum laudes eum in modum augentur et exaggerantur ipsique adeo in coelum extolluntur, ut animos nostros summopere offendat et documento sit, quantopere ii quoque viri, quos miseris his blandimentis certe maiores putaveras, quippe qui semper antiquitatis studiosissimos veterumque morum integerrimos cultores se praedicassent, communi temporum vitio cesserint; quod imprimis in laudibus Val. II. apparet. Sed ut ad institutum nostrum redeamus, quam familiari fere amicitia imperatoribus iunctus fuerit multa sunt, quae declarent. Ut pauca modo significemus, Gratianus eum a. 377. prae ceteris honoravit, cum edictum in senatu recitandum ei mandaret, praefectura urbana non petenti a Theodosio et Valentiniano sponte delata est (ep. 10, 22), Cal. Jan. ex veterum consuetudine strenis missis ab imperatoribus ornabatur. Itaque aetas illa per summum divinorum principum numen gubernata eiusmodi a Symmacho celebratur laudibus, ut aurea

tempora in hominum sedes rediisse putes. Ex quo genere nonnulla hic commemorasse iuvabit. In ep. 3, 43. ad amicum scribit: „Habes saeculum virtuti amicum, quo nisi optimus quisque gloriam parat hominis est culpa, non temporum“, et ep. 10, 21: „Vivere libet, natum esse non poenitet et ad salutem spectant omnia“. Ne vero longus sim in enarrandis locis huc spectantibus, ad ipsum te relego scriptorem, qui eadem ratione usus est in oratione habita pro patre cc. 6 et 9 et 10. Unum modo integrum locum apposuisse sufficiat ex laud. in Gratianum 9: „Si mihi nunc altius evagari poetico liceret eloquio, totum de novo saeculo Maronis excursum vati similis in tuum nomen exscriberem. Dicerem de coelo rediisse Justitiam et ultro uberes fetus iam gravidam spondere naturam. Nunc mihi in patentibus campis sponte seges matura flavesceret, in sentibus uva turgeret, de quernis frondibus rorantia mella sudarent. Quis haec sub te negaret esse credenda, cuius indoles multa iam praestitit et adhuc spes plura promittit? Et vere, si fas est praesagio futura conicere, iamdudum aureum saeculum currunt fusa Parcarum“. Sed haec temporibus sunt tribuenda. Vigebat tum adulandi genus incredibile nulla fere ratione cohibitum eratque per omnes terras divulgatum, quamquam neque aetas erat aurea dicenda, neque ipsis scribentibus talis videbatur. Nam apud Symmachum quoque loci habentur, qui cum publicis illis laudibus non possunt conciliari, veluti cum ep. 9, 116 queritur „leges ab ipsis, quibus curanda dantur, plerumque corrumpi“; tumultus praeterea commemorat a servis excitatos, qui in usum militarem petebantur (ep. 6, 64), et ep. 7, 114 apertius etiam profitetur „nos in patriae salo vivimus et fluctibus verberamur“.

At semel res accidit, quae quomodo explicetur plane ignoramus. Nam si consideravis, quam acri studio et amore quantaque observantia imperatores prosecutus sit, eum rebellis cuiusdam partibus favisse summopere miraberis. Quae res ita se habet. Maximus exercitu in Britannia ad seditionem permoto victor summa celeritate Galliam triumphali fere cursu pervolans Gratiani, qui ei obviam iverat, milites plurimos ut ad se deficerent auro corrupit, reliquos fugavit. Gratianus ipse a. 383. interfectus est. Iam a. 384. inter Maximum, Theodosium, Valentinianum de pace convenit eis conditionibus, ut Maximus Augusti cognomine assumto Britanniae, Galliae, Hispaniae imperium retineret. Neque vero id foedus diu servabatur, nam a. 388. bello iterum exorto Maximus victus et interfectus est. En illum Maximum, cuius partes amplexus Symmachus laudes et scripsit et recitavit, quo interempto ne maiestatis accusaretur metuenti in ecclesiam christianam confugiendum erat. Theodosii vero animi granditatem mireris, qui et ignovit neque unquam postea cum Symmacho non comiter egisse videtur. Totius facti mirabilis enarrationem leges

apud Cassiodor. hist. trip. 9, 23; Nicephor. Callist. eccl. hist. 12, 21; Socrat. hist. eccl. 5, 14 et Suidam s. v. καθοσίωσις.

Symmachus quamquam, ut supra demonstravimus, magna apud imperatores florebat auctoritate, moribus tamen erat ita integris, ut ab omni beneficio non iusto abborreret. Brevissimus ipse est, qui ep. 9, 88 ingenue profitetur: „diu officium scribendi per verecundiam distuli, ne in aula positum viderer ambire; cuius morbi ita crebra est affectatio, ut diligentes existimationis viri pro alienis vitiis erubescant".

Officiis publicis, quibus plurimis functus est, non adeo impediebatur, ut earum mole obrutus Romae semper detineretur. Quando enim cunque fieri poterat, ut a curis publicis vacaret (quod quoties factum sit, quaevis epistolarum pagella ostendit) rus se contulit eiusque deliciis perfruebatur. Innumeris locis vitam rusticam et otiosam laudat, cf. epp. 2, 22; 6, 62; 6, 70; 7, 27; 7, 60; et ipse, „quem urbanarum taeduit molestiarum" (ep. 6, 32), maxima voluptate et exacta peritia delectationes, quae ruri percipiantur, amico depingit. Neque honorum nimis appetens fuisse videtur, nam praefecturam urbanam non ambierat, sed ab imperatoribus oblatam acceperat (epp. 10, 22; 10, 23), initio etiam repudiaturus erat (ep. 2, 28), et cum Praetextatus amantissimus obiisset, ea causa uti volebat, ut magistratu se abdicaret (ep. 10, 30). Unum certe in eo mireris, quod cum divitiae suppeditarent magnae et otio frueretur diuturno nunquam itinera aliquanto maiora fecit. Nam si exceperis, quae iuvenis in comitatu imperatoris apud Rhenum gessit et quod postea iussus ab imperatoribus aliquoties Mediolanum excurrit, solum Latium et Campaniae oram amoenissimam eamque dilectissimam frequentibus egressibus visit, in quibus regionibus praedia et villas habuit plurimas et magnificentissimas. Magnus in epistolis numerus passim enumeratur. Praedia habuit ad Baulos, quos ep. 1, 1 versibus celebrat, ad lacum Lucrinum (ep. 1, 1), quibus adiungit Baias et Puteolos (epp. 1, 8; 2, 26; 6, 9; 6, 66); commemorat Capuanum praetorium (ep. 1, 10; 6, 11), praeterea praedium Laurentinum (epp. 4, 44; 7, 15), quod etiam appellavit agrum Lavinatum (ep. 7, 26), tum rus Vaticanum (epp. 6, 58; 7, 21), alterum Ostiense (epp. 2, 52; 6, 66; 6, 72), aliud Praenestinum (epp. 7, 35; 9, 83), suburbanum Arabianae (epp. 2, 57; 6, 60), suburbanum Spoletinum (ep. 3, 13), Athenaeum suum commemorat (ep. 9, 89), tum suburbanum praedium, quod viae Appiae adiacet (ep. 2, 59), Tiberim significat agros suos perfluere (ep. 3, 82), Corani etiam meminit (ep. 6, 61); cum Romae degebat in Coelio habitavit (epp. 3, 12; 3, 88; 7, 18); agros praeterea possedit in Mauretania Caesariensi (ep. 7, 66) et Sicilia (ep. 6, 66); Romae binas habuit aedes (ep. 3, 14).

At in magnis his divitiis et varia praediorum amoenissimorum iucunditate non deses tempus trivit, sed litterarum studiis occupatus publice etiam quae eveniebant maxima cura persecutus est; cumque urbs Romana fame gravi laboravit, toto in eam animo converso malum publicum summopere sibi cordi esse significat plurimis litteris ea de re ad amicos missis, et ne in calamitate ingenti urbi deesset, sponte in eam se contulit. Uxorem habuit Rusticianam (ep. 10, 54; Sidon. Apollin. ep. 2, 10), filium Q. Flavium Memmium unicum, ut ipse significat ep. 5, 68, quem „parvulum suum", ut nominavit iam natu grandem et praeturae candidatum, summo amore amplexus est et cui instituendo atque ad optimam litterarum disciplinam erudiendo assiduam et indefessam operam dedit (ep. 6, 61); ipse cum eum litteras graecas doceret sibi repuerascere visus est (epp. 4, 20; 8, 69).

Antiquus erat atque inveteratus apud Romanos usus ludorum sollemnium, et quo magis omnis antiquitatis memoria extinguebatur eo vehementius id studium exarsit. Quaestores, praetores, consules ludos scenicos, circenses, amphitheatrales populo dabant ex antiquo instituto. Constantinus vero omnes, qui senatores essent quosque praeturae destinasset ad ludos edendos coegit primus, qua de re videndus est Zosimus 2, 38: „*βουλόμενος δὲ καὶ τοῖς ἐν λαμπρᾷ τύχῃ περινοῆσαι τι λυπηρόν, ἕκαστον εἰς τὴν τοῦ πραίτωρος ἀξίαν ἐκάλει καὶ τῷ προκαλύμματι τῆς τιμῆς ἀργύρου σταθμὸν ἀπήτει πολύν· ἦν οὖν ἰδεῖν τῶν εἰς τοῦτο τεταγμένων ἐπιδημούντων ταῖς πόλεσι φυγὴν ἁπάντων καὶ ἀποδημίαν ἀλλόφυλον, δέει τοῦ μὴ σὺν ἀπολείᾳ τῆς οὐσίας ταύτης τυχεῖν τῆς ἀξίας.*" Tales editiones, quod nomen vulgo ea aetate receptum est, cum magnas opes desiderasse, tum populi studium facile conciliasse plane intelligitur. Symmachus quoque singulari eas coluit amore. Iam ipse cum consulatum iniisset ludos publicos dederat (epp. 4, 60; 7, 4; 7, 8; 9, 130) et cum filius quaestoris primum, tum praetoris dignitatem assecutus esset quot ille curis afficiebatur, quanto studio commovebatur, quam summo arsit ardore, ut editiones fierent sollemnes, celebres, frequentes, quos non adiit amicos, ut opus iuvarent, quo non legatos et familiares misit, ut quibus opus esse videretur omnia conquirerent, quos non invitavit, ut ipsi editioni interessent. Quae res cum plurimis epistolis peragatur et ea quidem diligentia, ut quid illa aetate necesse fuerit ad ludos splendide edendos clare appareat, non ita abs re esse videtur, hoc loco paulisper gradum sistere et editionis censuram agere. Toto iam anno ante, quam ludi ederentur is, qui eorum curam susceperat in remotissimas provincias ex domesticis atque familiaribus mittebat, qui feras vel quae alia ibi haberentur, quae usui essent, conquirerent et emerent; amicos, quos illic forte habuit, adibat, ut homines illos iuvarent, bestias, si hiemis tempestatibus navi-

gatio impediretur, in suis stabulis hiemare paterentur; cumque ludi in amphitheatro Romano (ep. 6, 33) essent edendi, ipse ut cuncta componeret in urbem se conferebat, amicos denique invitabat „ut quam frequentissimi advenirent. Quod ad animalia, quibus opus erat in ludis edendis celebribus, pertinet, omnium primi equi poscuntur et „de proximo“ (ep. 5, 82) et maxime „ex Hispania“, qui nobilissimi fuisse videntur (epp. 4, 6; 4, 58; 4, 59). Familiares suos atque domesticos Symmachus totam Hispaniam permigrare et de singulis provinciis optimos quosque coemere iussit (ep. 7, 48). Praeterea necessarii videbantur canes scotici (ep. 2, 77), quibus non contentus „peregrina animalia“ (ep. 9, 125) et feras (ep. 9, 27) exposcit, inter quas sunt etiam, quarum notitia iam periit, veluti addaces et pygargi (ep. 9, 129); petit tum quadrigas ex grege Laudacianorum (ep. 4, 63). Iam accedunt leopardi (epp. 4, 12; 7, 59), ursi (epp. 2, 76; 7, 121), ursi transmarini (ep. 10, 13), leones (epp. 2, 76; 7, 122), crocodili (epp. 6, 43; 9, 132; 10, 19); tum etiam opus erat venatoribus (ep. 5, 59), aurigis et scenicis (ep. 6, 42). Vestes his diebus festis destinatae ab ipsa filia contexebantur (ep. 6, 40). Neque vero animalia collegisse satis habebat, sed mancipia quoque desiderabat, de quorum usu quomodo tum temporis vulgo indicatum sit, facile ex eis cognoscas, quae Symmachus ad Flavianum amicum scripsit ep. 2, 78: „Et quoniam servorum per limitem facilis inventio et pretium solet esse tolerabile, quam maxime te deprecor, ut per homines strenuos viginti iuvenes praedicto negotio congruentes iubeas comparari . . . quorum non forma, sed aetas et sanitas deligenda est.“ His ludorum curis occupatus et impeditus amicos omnes, ut fidem et diligentiam praestent orat (ep. 4, 8), ipsumque Hispaniae vicarium precibus obtestatur. Quantopere vir ille, qui reliquis in rebus neque superbus neque gloriae vel popularis studii appetens fuerit, in ipsis ludis a plebis iudicio pependerit, ipsius verba documento sunt in ep. 4, 60: „Vincenda est enim mihi fama exemplorum, quae post consularem munificentiam domus nostrae et filii mei quaestoriam functionem nihil de nobis mediocre promittit“, et ut omnia, quae laudaret, exemplis et argumentis ex antiquitate petitis sustentare solebat, iam etiam, ut ludorum splendorem nimium defenderet patrono utitur ipso M. Tullio, cum in eadem epistola sic pergat: „Scis enim pro tua sapientia, magnae urbis magistratibus angustos animos non convenire. Hoc enim Tullius tuus praecipit, luxum in privatis negotiis arguens, in publicis magnificentiam probans.“ Pecuniam, qua ludi constiterunt, Photius definit in bibl. cod. 80, p. 63 a Bekker: *Σύμμαχος . . . τοῦ παιδὸς Συμμάχου πραιτοῦραν τελοῦντος κ' κεντηνάρια ἐδαπάνησε.* Eodem spectat, quod ipse praefectus urbis ab imperatoribus petivit, „ut voluptates scenicas et curules in circo

et Pompeiana cavea haberi liceret“ (ep. 10, 26). Id vero unum erat, ubi popularibus animis aliquanto plus quam debebat cessit, reliquis in rebus constantem se praebuit neque unquam transversum unguem a recto discessit, immo potius severior, quam indulgentior habebatur, ita ut cum ingenio optime conveniat eius dictum „tantum denuo legibus severitatis addendum esse, quantum flagitia creverint“ (ep. 2, 13).

Haec fere sunt, neque quicquam praeterea, quae de publica eius vita nunc quoque erui poterant. Annus ipse, ad quem ultimum vitam produxerit cum accurate definiri nequeat coniectura est consequendus. Annum quidem 391., quo consul erat, pluribus etiam superasse constat, cum ep. 5, 10 Theodoro adeptum consulatum gratuletur, quo ille functus est a. 399. Sed ultra quoque aliquantum progredi licet. Prudentius libros duos, quos contra Symmachum composuit, scripsisse videtur adversus oratorem etiam vivum. In quorum altero cum versibus 695 sqq. Alaricum „nuper“ impetum in Italiam fecisse, sed Venetis Liguribusque vastatis repulsum esse narret, quod apud Polentiam a. 403. factum esse constat, Symmachus a. fere 404., etiam vixit, vel ut accuratius agam exeunte a. 403., nam in fine carminis hortatur Prudentius Honorium, ut ludos gladiatorios tollat, quod iam a. 404. factum est. Ultra hanc temporis definitionem nil certi discernere possumus. Cumque annum eius natalem constituerimus fere 340. sexagesimum vitae annum superasse videtur, cum qua ratione quae alia eius dicta feruntur, quibus senectutem adventantem significat, optime conveniunt, velut cum ep. 3, 15 se nominet „procedentem in annos graves“, ep. 7, 20 „victum aevo“, ep. 8, 48 „senem garrulum“, cum ep. 4, 32 commemoret „aetatem declivem in senium“, et ep. 4, 18 iocosus Vergilii versu utatur, cum dicat: „Tantum abest, ut haec annis in senectutem vergentibus velim

Candidior postquam tondenti barba cadebat“,

quem locum desumsit ex Verg. Ecl. 1, 28. Hic facere non possum, quin genuinam versus Vergiliani formam, quam ipse codicum consensus exhibet, per nostrum etiam Symmachum contra Peerlkampium, rerum novarum in philologia nimis studiosum, luculente defensam brevi denotem.

II. De Symmacho antiquae religionis defensore.

Cum hucusque de sola Symmachi vita publica egerimus, quae quamquam celebris, tamen ob nimiam rusticationis diligentiam studiumque vitandi rumoris urbani reductior potius erat, quam splendidior, restat etiam, ut de animo eius semper prisco deorum cultui addicto disputemus. Per multum iam tempus maximeque inde a Constantini aetate tempora adeo mu-

tata erant, ut pagani privilegiis quibusdam antiquissimis contenti, id unum peterent, ut patrum fidem servare atque colere sibi liceret, nedum altius tenderent alteramve sub exitum saeculi Juliani aetatem redituram sperarent. Christiani numero et opibus ita iam adaucti erant, ut summa moderatio et aequitas necessario requireretur ab eis imprimis, quibus, cum civitatis gubernacula tenerent, cum populo iam magna ex parte christiano, cum magistratibus christianis, cum imperatoribus agendum esset, qui ipsi a numine quodammodo id sibi impositum putabant, ut christianae religionis integritatem et splendorem tuerentur. Quae cum ita essent, laudanda est Symmachi aequitas semper servata. Nam cum praefecturam urbis teneret, mortuusque esset Zosimus, episcopus Romanus, et in eligendo successoro, ut simili occasione tum semper fieri solebat, magnus populi tumultus ortus omniumque animi concitati essent, et in summa hac civium discordia duo episcopatum appeterent, Eulalius et Bonifacius, Symmachus integerrime et honestissime munere suo satis difficili est functus, sola imperatorum praecepta secutus (epp. 10, 71; 10, 78), et cum essent, qui vehementissime in eum inveherentur, ipsumque apud imperatores accusarent, quod iniusto et turpi modo cum Christianis egisset et aspere in eos animadvertisset, eiusmodi crimina aperte ostendit esse invidiosa atque falsa, semet ipsum prorsus purgavit et quo graviore niti non poterat ipsum Damasum episcopum habuit indicem, qui ultro testabatur „assectatores eiusdem religionis nullam contumeliam pertulisse“. Digna quae legatur est ep. 10, 41, quam de his iniuriis ad imperatorem scripsit et qua se innocentissimum a malevolis quibusdam hominibus falsis criminationibus petitum et laesum esse docet. Neque usquam Christianorum facit mentionem nisi honorificentissimis verbis et saepius quidem ita, ut huius religionis adversarius certe non putetur, velut cum ep. 10, 71, ubi de episcopo Romano eligendo agitur, his verbis utitur: „si quidem certum esset, in eligendo episcopo Dei omnipotentis expectandum esse iudicium“, et infra: „eos admonui, ne quid temere fieri paterentur aut contra sacrae legis ordinem aut contra consuetudinis rationem“. Alias quoque, ubi de Christianis eorumque institutis verba facit, eo utitur sermone, qui non modo animi aequitatem, sed fere iam voluntatis inclinationem profiteatur. Ep. 10, 78 enim commemorat „diem sanctum Paschae“, et „diem venerabilem Paschae“, ep. 10, 81, „sanctorum dierem reverentiam“ et ep. 10, 73 „sancti apostoli Petri basilicam“ et alia eiusmodi. Neque vero solas immiscuit has breves et interiectas quodammodo significationes certe mirandas in viro eo, qui priscae religionis observantissimus fuerit, sed loci integri occurrunt, ex quibus quantopere sententiae quaedam humanae divulgatae fuerint et in omnium usum pervenerint, intelligitur. Huc pertinent, quae scribit ad amicum ep. 7, 46: „suscipe, oro, benefaciendi provinciam, quae hominum

merita deo applicat", et similiter ep. 10, 61 „omnia quidem deo plena sunt, nec ullus perfidis tutus est locus", atque infra „aequum est, quicquid omnes colunt, unum putari. Eadem spectamus astra, commune coelum est, idem nos mundus involvit. Quid interest, qua quisque prudentia verum inquirat? Uno itinere non potest perveniri ad tam grande secretum." At in perquirendis eiusmodi locis cautione opus est, ne in eis, quae strictim intuentibus huc referenda videntur, errore capiare. Quid enim magis apertum atque clarum videatur eis, quae scribit ep. 8, 11 „religio enim fide pectoris continetur, in verborum officiis latet plerumque simulatio", vel ep. 8, 12 „religio enim magis fide animi metienda est, quam ostentatione verborum". Attamen neuter locus ad religionem, quam nunc dicimus, est referendus, sed uterque ad amicitiam pertinet. In vita privata et familiari mores solos et animos hominum spectavit neglecta doctrinarum diversitate. Cuius rei luculentum est testimonium Ausonius, quo forsitan magistro usus est, amicum certe fidelissimum semper colebat; quod ut confirmem, quamquam in re tam certa argumenta videntur superflua, ipsius verba in medium profero ex ep. 1, 31 ad Ausonium data: „unum hoc tamen a nobis indubitata veritate cognosce, neminem esse mortalium, quem prae te diligam". Quid quod ipsum episcopum quendam Decio amico his verbis commendat (ep. 7, 51): „Trado sancto pectori tuo fratrem meum Severum, episcopum omnium sectarum attestatione laudabilem, de quo plura me dicere et desperatio aequandi meriti et ipsius pudor non sinit... quem cum penitus expenderis, reperies me cessisse potius eius laudibus, quam per neglegentiam defuisse", et cum Clementem episcopum Caesareensem amico commendaret, aperte significavit, in amicis non esse spectandam religionem, sed animum. Vide ep. 1, 64: „Commendari a me episcopum forte mireris. Causa istud, non secta persuasit."

Ea quae modo protuli sufficere videntur, quibus demonstretur, quam aequo animo Symmachus fuerit, quantopere ab aliorum offensione quantula etiam cunque abhorruerit, quam nullo religionis discrimine in amicis colendis ductus sit. At, qui in reliquos mitissimo iudicio uteretur, ipse ad maiorum sacra totus propensus non modo prisca et inveterata instituta secutus est, sed superstitiones quoque fere iam aniles anxie servavit. Quis enim id sibi persuadeat, exeunte saeculo p. Ch. n. quarto fuisse etiam virum liberaliter educatum et principem in civitate, qui prodigia et portenta extimesceret, quae iam Ciceronis aetate sagacior quisque riserat? En ipsius verba ex ep. 6, 40 desumta: „Gravibus civitas sollicitatur ostentis, quorum leviora praetereo. Illud ante omnia interpretatio tristis horrescit, quod natali urbis suffectum consulem currus, quo vehebatur, evolvit per ferociam bigarum, quae triumphum vehebant. Itaque palmata amictus, consulari insignis ornatu, fracto crure

sublatus est. Offendit me infausta narratio atque ideo in hac expositione servabo brevitatem.“ At alia habentur multo etiam graviora. Ipsum haruspicem audire tibi videris, cum legis, quae ille scripsit ep. 1, 49: „Impendio angor animi, quod sacrificiis multiplicibus et per singulas potestates saepe repetitis, necdum publico nomine Spoletinum piatur ostentum. Nam et Jovem vix propitiavit octava mactatio et Fortunae Publicae multiiugis hostiis nequicquam undecimus honor factus est... Curabo scias, si quid remedia divina permoverunt.“ Ab his locis tertius non multum differt. Cum urbs gravissima fame laboraret et maior civium pars de salute omnino iam desperaret, erant in senatu, qui ex veterum more pro alimentis populi Romani supplicationem decernerent, Symmacho summopere suadente (ep. 4, 4).

Is, qui tanta devotione antiquis sacris devinctus esset, certe hominum, qui tum erant, erga religionem negligentiam non poterat non dolere. Talis locus habetur in ep. 1, 51: „neque enim fert animus in tanta sacerdotum negligentia sufficere collegam. Fuerit haec olim simplex divinae rei delegatio. Nunc aris deesse Romanos genus est ambiendi.“ De Neapolitanis praeconii modo „Deum“ inquit, „maxima pars veneratur“ (ep. 1, 3). Idem in singulis quoque rebus minoribus observantissimum se praestitit. Dies festos Vestales a se celebratos profitetur ep. 2, 59, ad sollemnia Minervae rite obeunda amicum, ut ad se veniat, invitat victum simul promittens, sed parcum „agrestibus olusculis, quia luxaries offendit deam sobriam“, ut facete iocatur ep. 5, 85. Ep. 2, 53 se amici partes sustentaturum esse in sacris deorum conficiendis promittit, et ep. 2, 34 sacra matris Deum commemorantur celebrata. Vestales, quae inter sacerdotia summo semper cultu honoratae sunt, Symmachus quoque praecipuo favore amplexus est, quod aperte pronuntiavit in ep. 9, 108: „sed ego in sacrae virginis famam nil patior licere sermonibus“.

In epistolis frequentissima habetur deorum commemoratio eiusmodi, ut res, de qua agitur, eorum numini permittatur aut ex antiqua modo consuetudine eorum mentio fiat. Eius generis sunt: Deo iuvante epp. 6, 65; 7, 14; auspice Deo ep. 10, 15; Iove teste ep. 9, 92; Dei venia ep. 6, 19; divina ope ep. 2, 49; divina miseratio ep. 5, 90; si dii iuverint ep. 8, 2; divinus favor epp. 8, 44; 9, 73; coelestium favor ep. 8, 14; favor praesidii coelestis ep. 8, 15; Deo auctore ep. 8, 47; suffragium salutarium potestatum ep. 8, 59; si innocentiam divini respiciunt ep. 8, 18; ope divinitatis ep. 8, 13; dei salutis praesides ep. 8, 70; Dei nutus ep. 6, 33; coelestis potestas ep. 8, 47; cum bona Dei venia ep. 8, 58. Commemorata fame, qua urbs misere devastabatur, ad deos confugit exclamans, ep. 2, 7: „Dii patrii, facite gratiam neglectorum sanctorum, miseram famem pellite!“ et de eadem re scribit: „Votis opus est, ut

divina opitulatio invehat commeatus!" Eodem referendum est dictum ep. 6, 75 „in coelestium manu est effectus optati", vel cum ep. 9, 83 amicum conservatum deberi dicit „deis auctoribus bonaeque fortunae"; similiter ep. 3, 15 deos, inquit, amici vitae prospecturos esse. Quale eius his de rebus fuerit iudicium, liquido expressit in ep. 8, 6: „quaeso custodes bonorum deos, valetudini tuae medicas applicent manus, ne optimi senatoris longa vexatio fidem faciat, nihil curare coelestes, a qua opinione dissentio, teque protinus ope salutarium potestatum solitae sanitati praesumo reddendum."

Ex eis, quae modo disputavi, omnibus patet, Symmachum, cum eam retinuisset deorum opinionem, ut eos summos totius mundi gubernatores putaret, qui levissima etiam et minima quaeque ipsi regerent et administrarent, superstitiosas quoque priorum aetatum sententias iamdudum abolitas plane eodem studio servasse et coluisse.

Sed iam ad id factum enarrandum devenimus, quod, cum praestantissimum tota Symmachi vita esset, solum effecit, ut oratoris nomen non periret eiusque epistolarum copia sat ampla servaretur.

III. De relatione pro ara Victoriae.

Symmachus, quo erat animo tranquillo et a quavis contentione alieno, nunquam ipse eo se deduci passus esset, ut Christianis iniquus videretur, nedum hostilibus eos telis peteret. At res inexpectata accidit et effecit, ut praeter principem locum, quem in civitate obtinebat, primae quoque partes in defendenda antiqua religione ei deferrentur, unde laudem sibi comparavit perpetuam. Sed quo res accuratius explicetur, argumenta aliquanto altius repetenda sunt.

Senatus haberi solitus est in curia Hostilia et post Caesarem interfectum in curia Julia. A. d. V. Cal. Sept. a. u. 725. Augustus in Caesaris honorem ante Victoriae imaginem, quae iam in curia erat, aram poni iussit et in ea supplicari. Qua de re vd. Suet. Aug. 35: „sanxit, ut priusquam consideret quisque ture ac mero supplicaret apud aram eius dei, in cuius templo coiretur." Cf. Suet. Aug. 100; Herodian. 5, 5; 7, 11. Dio Cassius 51, 22 haec habet de statua Victoriae: „*ἐπεὶ δὲ ταῦτα διετέλεσεν τό τε ἀθήναιον τὸ Χαλκιδικὸν ὠνομασμένον καὶ τὸ βουλευτήριον τὸ Ἰουλίειον, τὸ ἐπὶ τῇ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ τιμῇ γενόμενον, καθιέρωσεν. ἐνέστησε δὲ ἐς αὐτὸ τὸ ἄγαλμα τὸ τῆς νίκης τὸ καὶ νῦν ὄν, δηλῶν, ὡς ἔοικεν, ὅτι παρ' αὐτῆς τὴν ἀρχὴν ἐκτήσατο. ἦν δὲ δὴ τῶν Ταραντίνων, καὶ ἐκεῖθεν ἐς τὴν Ῥώμην κομισθὲν ἔν τε τῷ συνεδρίῳ ἱδρύθη καὶ Αἰγυπτίοις λαφύροις ἐκοσμήθη.*" Hac statua Victoriae, in cuius tutela urbem esse putabant, significari censebant imperii aetatem nullis annorum finibus circumscriptam et gloriam im-

mensam atque interminatam. Imago erat Victoriae gradientis vel advenientis, quae fingebatur alata „pexo crine virago, nudo súspensa pede strophioque recincta, tumidas fluitante sinu vestita papillas“ (Prudent. in Symm. 2, 36). Mos erat per plura saecula, ut senatores, postquam convenerunt, in ara Victoriae sacra facerent. Cum vero Christianorum numerus et honor auctus esset atque plures in senatum quoque pervenissent, quam iniquo animo tales cerimonias tulerint et quantopere offensi sint facile intelligitur, cum iam in eorum ipsorum ludibrium ara posita et sacra fieri viderentur. Itaque ex hac iam aetate saepissime ac summo cum ardore actum est de ara Victoriae, utrum submoveretur, an restitueretur, et quae res initio minima putabatur, tanti facta est momenti, ut per eam imperatorum aut ad veterem cultum inclinatio aut Christianorum patrocinium cognosceretur. Christiani idem propositum strenue semper persecuti, ut aram invitam tollerent, imperatores precibus adierunt. Primo, quod sciam a. 357. ara remota est Constantii iussu, qui cum eo anno Romam viseret eius aspectu se inquinari et pollui putabat (Ambros. Ep. 18, 32). Julianus vero nil fere antiquius habuit, quam ut aram restitueret. Valentinianus I., quamquam acerrimus et vehementissimus Christianorum defensor, aram tamen non sustulit, sed reliquit, quod Ambrosius ita explicavit, quasi imperator aram extare omnino ignorasset. Iam videbatur omnis dissensio et omne certamen diremptum, cum repente per decretum Mediolani datum Gratianus aram removeri iussit. Quo nuntio accepto senatores et qui alii idem cum eis sentiebant summopere perculsi, quonam modo ara restitueretur, deliberabant. Placuit senatui, mitti ad imperatorem legationem, quae singula exponeret et ut ara redderetur peteret. Cui legationi quis praeficeretur dubium non erat, cum gentis nobilitas, eloquentiae laus, honor publicus et in senatu auctoritas Symmachum unum commendaret. Cuius rei cum rumor divulgaretur, primis illius aetatis episcopis, Damaso Romano et Ambrosio Mediolanensi, omni modo obnitendum videbatur, quominus legati quae volebant assequerentur. Itaque libellum statim compositum imperatori obtulerunt, quo omnium rerum rationibus conversis maiorem senatorum numerum christianae religioni addictos et imperatoris decreto, quo ara Victoriae tollebatur, laetissimos esse finxerunt, id simul addentes, per legatos non totius senatus voluntatem, sed quae pauculi modo desiderarent significari. Pro auctoritate, qua Ambrosius cum publica fruebatur, tum apud imperatorem pollebat, quid futurum esset non amplius erat dubitandum, et res inaudita sane accidit, ut legatis ne aditus quidem ad imperatorem permitteretur, ita ut infectis rebus Romam redierint. Neque vero cura diu intermissa est.

A. 384. Symmachus ad dignitatem praefecturae urbanae pervenerat, Gratianus obierat, imperium Valentinianus II. obtinuerat, admodum etiam iuvenis. Iam videbatur petitio iteranda, neque vero legatio mittenda, quae coram quid vellent imperatori exponeret, sed Symmacho negotium datum est scribendae petitionis, quae ad aulam Valentiniani per legatos deferretur (Ambros. obit. Val. 19). En celeberrimam illam relationem pro ara Victoriae, quae summam apud omnes movit expectationem, deorum cultoribus animos iacentes iam et omnibus de rebus desperantes excitavit, eademque Christianorum impetum vehementius inflatum sedatura videbatur, ultimum fere exspirantis Romani nominis documentum, libellus celeberrimus communi omnium etiam adversariorum consensu propter linguae singularem facundiam et insignem elegantiam, argumentorum gravitatem et ratiocinandi accuratam diligentiam, nobilitatus etiam ex scriptoris ingenua honestate, summa morum integritate, eximio patriae et antiquitatis studio, eloquentiae laude fama illustri. Etiamnunc vix erit, qui pagellis istis perlectis non commoveatur, cum videat et oculis quodammodo cernat, in statum quam humilem redacta sint prisca populi Romani sacra, quae privilegiis omnibus deinceps amissis, ut spiritum modo ducere sibi liceat petere videntur, cum animadvertat, qua maiestate cedant et imperium sua fortitudine suaque virtute conditum et auctum, suo sanguine suisque laboribus ad summum gloriae fastigium elatum novo aevo, dissimili moribus, diverso sententiis, dispari hominibus relinquant, animi vero granditatem et sublimem nobilitatem ne cum moriuntur quidem amittant.

Exordio utitur Symmachus eo, ut dolorem summum, quo perculsus sit senatus, designet. Priori legationi aditum ad Gratianum negatum esse ab improbis, qui quanta esset imperatoris iustitia probe cognovissent. Se duplici officio fungi, praefectum quae publice gesta essent proponere, legatum quae cives mandassent commendare. Neque curiam suis modo commodis servire, sed ex eius studio imperatoribus quoque summam utilitatem redundare, quippe qui uberrimos inde capturi essent fructus, cum quae maiores in civitate instituissent legibusque firmassent, conservarentur atque defenderentur, patriaeque gloriam eo fore clariorem, quo magis principes, nil sibi contra morem parentum licere intellexissent. Julianum patrum cerimonias coluisse, Valentinianum I. non sustulisse; huius igitur imitaretur exemplum, si illius sententiam sequi non posset. Quemnam tandem esse animo ita barbaris addicto, ut Victoriae aram non requirat? Redderetur ergo nomini saltem honor, qui numini negaretur. „Nam multa“ inquit „Victoriae debet aeternitas vestra et adhuc plura debebit. Adversentur hanc potestatem, quibus nihil profuit. Vos amicum triumphis patrocinium nolite deserere. Cunctis potentia ista

votiva est, nemo colendam neget, quam profitetur optandam.“ Ornamentum certe curiae fuisse relinquendum. „Praestate“ pergit „oro vos, ut ea quae pueri suscepimus senes posteris relinquamus. Consuetudinis amor magnus est.“ Et Constantii factum non diu stetisse. Ubinam, ara sublata, in leges et verba imperatorum iurarent? Aram illam quasi concordiae vinculum arctius quodammodo fidem omnium adstringere, summamque auctoritatem senatus sententiis inde accedere, quod ordo quasi iuratus decerneret omnia. Constantii factum non esse quidem negandum, sed quae alia ille plurima gessisset aemularetur, qui nunquam certe tale quicquam commisisset, si alius iam antea de via et consuetudine maiorum deflexisset. Et esse certe, quae imitatione digna fecisset, qui nil e privilegiis sacrarum virginum deminuisset, sacerdotiorum sumptui non pepercisset, ipse urbem aeternam visisset, senatu duce delubra perlustrasset, deorum nomina in summis fastigiis inscripta legisset, templorum origines percunctatus conditoresque miratus esset, et cum alias religiones ipse sequeretur illas tamen imperio servasset. At iam utilitatem quoque accedere. Cum enim ratio omnis obscura esset, de memoria atque rerum secundarum documentis cognitionem numinum venire, itaque religionis auctoritatem multis saeculis probatam et a patribus receptam esse servandam. Et ut misericordiam eo maiorem moveret, orator Romam ipsam in medium producit atque loquentem facit: „Optimi principes, patres patriae, reveremini annos meos, in quos me pius ritus adduxit, ut utar cerimoniis avitis, neque enim poenitet. Vivam more meo, quia libera sum. Hic cultus in leges meas orbem redegit, haec sacra Hannibalem a moenibus, a Capitolio Senones repulerunt. Ad hoc ego servata sum, ut longaeva reprehendar. Videro, quale sit, quod instituendum putatur. Sera tamen et contumeliosa est emendatio senectutis.“ Itaque pacem rogat diis patriis, diis indigetibus. Cumque eadem omnes spectarent astra, coelum omnibus commune esset eodemque omnes mundo involverentur, nil, inquit, interesse, qua quisque prudentia verum inquirat, uno enim itinere non posse perveniri ad tam grande secretum. At quasi nimia iam usus in dicendo licentia vocem submittit relictaque contentione ad solas se vertit preces, quibus ut Vestalibus immunitas, qua antea usae essent, restitueretur orat. Nam ex virginibus privilegio privatis cum nullum sacro aerario accederet commodum, fieri iam non posse, ut sub largissimis principibus ea denegarentur, quae vel parcissimi praestitissent. Abessent igitur ista compendia ab aerarii puritate, principumque fiscus hostium spoliis, non sacerdotum damnis augeretur. Et quoniam imperatorum mores ab omni iniquitate et avaritia remotissimi essent, eo etiam miseriores eos videri, qui subsidiis antiquo usu receptis spoliarentur; ad solam enim amittentis iniuriam detrahi, quod auferentis desi-

derium non moveret. Sed iam pergit ad tertiam quandam rem deplorandam — ius hereditarium sacerdotibus ademptum. Obtestatur principis clementiam, id modo concederet, ut testamenta secure dictare liceret neve morientes amplius sollicitarentur. Quo enim iure romanas religiones a romanarum legum iustitia prohiberi? Cum liberti legata caperent, servi testamentorum iure atque utilitate non privarentur, solas virgines nobiles sacrorumque ministros praediis hereditate comparatis excludi. Nil igitur expedire castum corpus saluti publicae devovisse, imperii aeternitatem coelestium numine muniisse, imperatorum armis et aquilis virtutem et gloriam sociasse, pro omnium salute vota nuncupasse, cum iuris communis expertes essent. Servitutem certe ea conditione esse meliorem. Ista vero non religionis finibus atque terminis descripta esse, sed latius patere, cum ex illa facinorum quodammodo radice cunctae humani generis calamitates prorupissent. Illinc famis illius terribilis originem esse petendam, quae non terrae iniquitate aliqua exorta, sed divinitus missa esset; ex sacrilegio enim siccitatem provenisse et necessario omnibus id periisse, quod religionibus negatum esset. Neque unquam proavorum temporibus, qui religionum ministros publice aluissent, tale quicquam accidisse, ut homines vitam silvestribus arbustis misere sustentarent et rusticanorum multitudines ad dodonaeas arbores confugerent, nunquam antea ex quercorum fructibus homines sibi victum procurasse, nunquam eo devenisse, ut herbas evellerent; ex victu enim sacerdotibus benigne tributo terrarum fructus abundantes et copiosos provenisse, neque eam fuisse largitatem, sed potius praesidium quodammodo et remedium. Iam eos refellit Symmachus, qui rem ita defendant, ut imperatores sumptu publico merito eam religionem privasse dicant, quae aliena esset. Rempublicam, inquit, de singulis constare et quod ab ea proficisceretur rursus proprium singulorum fieri. Imperatorum esse, ut cum omnia regerent suum cuique servarent, et quae ab initio beneficia fuissent, usu atque aetate debita fieri. Itaque imperator, ut omnes sectas aeque defenderet, eis imprimis prospiceret, qui maioribus aliquando praesidio fuissent. Et Gratiani mortem attingens, qui filio non relicto indecore periisset, hanc addit clausulam: „Eum religionum statum petimus, qui divo parenti culminis vestri servavit imperium, qui fortunato principi legitimos suffecit heredes. Spectat senior ille divus ex arce siderea lacrimas sacerdotum et se culpatum putat more violato, quem libenter ipse servavit. Praestate etiam divo fratri vestro alieni consilii correctionem, tegite factum, quod senatui displicuisse nescivit. Si quidem constat, ideo exclusam legationem, ne ad eum iudicium publicum perveniret. Pro existimatione est temporum superiorum, ut non dubitetis abolere, quod probandum est, principis non fuisse.“

Id fere est argumentum celeberrimae relationis Symmachianae, qua orator illustris cum initio dicturus esset de sola ara Victoriae artioribus his finibus non continebatur, sed longius egressus, totum priscae religionis statum percensuit.

Quae quoniam neque publice recitata, nec statim divulgata est, initio rumor tantum eius percrebuit, qui ipse Christianos ingenti terrore affecit, verentes, ne imperator disertissimo adversariorum patrono aures praeberet. Quod ne fieret simulque ut iuvenile principis ingenium officii sui commoneret, quod in defendenda Christianorum causa versaretur, id munus Ambrosius a numine sibi iniunctum putavit, vir et a populo unice dilectus et in rebus publicis versatissimus idemque summus et fautor Valentiniani et consultor. Is, ubi primum de Symmachi petitione fama innotuit, priusquam ipsum exemplar perlegisset, brevem argumentorum confutationem composuit eamque imperatori obtulit, quae nunc inter eius epistolas fertur 17., unde colligas, rationem et viam, qua Symmachus usus erat, generatim quidem ei tum iam notam fuisse.

Ambrosius inde exordium capit, ut omnes, qui sub Romana ditione vivant, imperatoris nominet milites, illius vero summum sanctissimumque munus significet militiam pro Deo eiusque cultu susceptam. Cumque Symmachus in eam sententiam disputasset, ut nil fere interesse diceret, quo quisque modo numen divinum coleret, episcopo talis opinio refutanda videtur neque ullus admittendus cultus praeter Christianum. „Aliter enim“ inquit „salus tuta esse non poterit, nisi unusquisque Deum verum, hoc est Deum Christianorum, a quo cuncta reguntur, veraciter colat.“ Gentilium deos daemonia mera esse, quibuscum consentire nemini liceret. Mirum certe esse, eos de iniuriis queri, qui nunquam Christianorum sanguini pepercissent, qui ipsa ecclesiarum aedificia subruissent, qui Juliano etiam regnante „Christianis loquendi et docendi communem usum denegassent“. Tantumque abesse, ut quae illi vellent restituenda viderentur, ut si iam ablata non essent, statim tollenda essent. Monet imperatorem, ne Gratiani statuta et praecepta rescinderet neve eorum illecebris se devinciri pateretur, qui mollem imperatoris aetatem fallere conarentur. Utque in rebus militaribus is audiretur, qui exercitatus esset in proeliis, ita cum de religione ageretur, Deum esse audiendum. „Nullius“ addit „iniuria est, cui Deus omnipotens anteferatur.“ Adhortatur imperatorem, ne eis aures praeberet, qui quamquam ipsi Christi nomine appellati, idololatrorum tamen petitioni faverent, quae negligentia ipsa iam esset scelesta, nam „quisquis hoc suadet sacrificat et quisquis hoc statuit“. Senatum, quem iam totum Christianorum esse simulat, periclitari ait, et quasi omnes senatores ut sacra facerent cogerentur, argutius sane quam verius exclamat: „cum curia maiore iam Christianorum numero sit referta, persecutionem esse crederet Christianus, qui coge-

retur tali optione ad senatum venire". „Te ergo" pergit „imperatore Christiani in aram iurare cogentur." Sed gravioribus iam utitur argumentis, cum dicat, non esse eam senatus petitionem, sed „paucos gentiles communi uti nomine", quam rationem mirabilem certe ita probat, ut narret, ante biennium, cum idem a Gratiano peteretur, senatores Romanos et „innumeros" alios epistolam misisse ad Damasum episcopum, qua se totos ab eiusmodi petitione abhorrere profiterentur, libellumque eum a semet ipso Gratiano oblatum esse. Cumque nemo iam non quaereret, quanam de causa senatores illi, quo tempore in senatu de legatione mittenda agebatur, non modo nil contra dixissent, sed omnino ne adfuissent quidem, rem argumento brevi sed debili praecidit his usus verbis: „satis loquuntur quid velint qui non interfuerunt, satis locuti sunt, qui apud imperatorem locuti sunt". Exemplum relationis poscit, ut plenius respondeat, nam ut res civiles aliorum iudicio committerentur, ita causam religionis sibi esse relinquendam. Et dignitate atque auctoritate sua nisus imperatorem, quasi senatui morem gerens ipse quoque a religione christiana defecturus esset, acerbissimis compellat verbis: „Licebit tibi ad ecclesiam convenire, sed illic non invenies sacerdotem aut invenies resistentem. Quid respondebis sacerdoti dicenti tibi: Munera tua non quaerit ecclesia, quia templa gentilium muneribus adornasti, ara Christi dona tua respuit, quoniam aram simulacris fecisti. Vox enim tua, manus tua et subscriptio tua opus est tuum: obsequium tuum dominus Jesus recusat et respuit, quoniam idolis obsecutus es. Dixit enim tibi: Non potestis duobus dominis servire. Privilegia tua sacratae Deo virgines non habent et vendicant virgines vestrae! Cur sacerdotes Dei requiris, quibus petitiones profanas gentilium praetulisti. Alieni erroris societatem suscipere non possumus. Quid respondebis his verbis: puerum te esse lapsum". At, pergit, ne iuventute quidem nimia eum excusari, cum pueri quoque intrepido ore contra persecutores Christum essent professi. Et ad finem properans in Gratiani memoria subsistit, quasi si quae senatus petivisset concederet omnia illius decreta abrogarentur, isque eo vulnere a fratre illato gravius quam ab ullo hoste laederetur. Ad patrem quoque provocat, quem etiam aram Victoriae plane ignorantem simulat. „Nemo ad me detulit, aram esse in illa Romana curia, nunquam tantum nefas credidi, quod in communi illo Christianorum gentiliumque consilio sacrificarent gentiles, hoc est, insultarent gentiles praesentibus Christianis et inviti Christiani interesse sacrificiis cogerentur." Ad postremum iterum imperatorem adhortatur, ut id faceret, „quod saluti suae apud Deum intelligeret profuturum".

Talis erat petitionis Symmachianae refutatio prima, quam Ambrosius ubi primus illius nuntius allatus est statim exaravit, sed ita, ut intelligamus, ratiocinationes, quibus adversarius

usus esset ei etsi non accurate perspectas, at certe universe cognitas fuisse; simulque documento est, qua dicendi impunitate atque licentia episcopus egerit cum imperatore, quamvis id semper ante oculos positum habeas, episcopi auctoritatem fuisse celeberrimam et incredibilem quandam, cum imperator haesitaret semper et in rebus publicis fluctuaret totusque ex illo dependeret. At Ambrosius integro petitionis exemplari accepto, cum quam priorem scripserat epistolam non amplius sufficere putaret, alteram composuit largiorem, qua adversariorum dicta singula percurrens suis quodque argumentis refellere studuit. Est quidem haec in collectione omnium epistolarum duo de vicesima. Initio tenuitatem linguae suae, si comparetur cum Symmachi facundia, excusat, nam „non verborum elegantiam, sed verborum vim esse spectandam". Tum tria, quae Symmachus argumentis probaverat, refellenda sibi proponit, „quod Roma veteres suos cultus requirat, quod sacerdotibus suis virginibusque Vestalibus emolumenta tribuenda sint, quod emolumentis sacerdotum negatis fames secuta publica sit". Iam ad singula accedit. Cumque Symmachus in eam sententiam disputasset, ut per sacra prisca populi Romani Hannibalem statueret a moenibus, a Capitolio Senonas repulsos esse, inde iam deorum infirmitatem cognosci posse contendit Ambrosius, qui ne id quidem impedire potuissent, quominus hostes sub ipsa urbis moenia succederent. In Senonum obsidione apparere nullam deorum vigilantiam. „Ubinam" quaerit irridens „tunc erat Jupiter? An in ansere loquebatur?" Et cum a Poenis argumenta petivisset adversarius, eosdem respondet utrique civitati fuisse deos, qui alteroutro populo victore iidem vinci debuissent. Ut vero Victoriae ipsius auctoritatem, cui tanta salus, tanta gloria, tot res bene et feliciter gestae tributae essent, confringeret, exemplis ex historia sumptis demonstrat, illis temporibus, quibus eius ara a nullo lacessita illaesa stetisset, cum maximae in rem publicam irruissent calamitates, nil illam ad defensionem valuisse. Cumque Symmachus ipsam Romam loquentem fecisset et de gloriosa atque cana senectute misericordiam moventem, Ambrosius eadem utitur prosopopoeia, diversissima vero sententia. „Non erubesco cum tuo orbe longaeva converti...Erubescat senectus, quae emendare se non potest. Non annorum canities est laudanda, sed morum, nullus pudor est, ad meliora transire." Gentilium religiones ab hominibus excogitatas christianae fidei opponit a Deo revelatae. Et quoniam gentilium imperatores suos tantum deos honorassent, christiano imperatori alios praeter Christum deos nullomodo esse colendos. Paganis, pergit, quaestum et lucrum videre necessarium, sine quo ceremoniae illorum perituraе essent, numerum vero Christianorum verberatorum, proscriptorum, necatorum illis ipsis suppliciis auctum esse. Inde facilis fit transitus ad alteram adversariorum rationem

percensendam, qua ut emolumenta sacerdotibus virginibusque Vestalibus darentur poposcerat. Quam ignominiosam ait videri immunitatem illam adeo necessariam! Non ergo gratuitam esse virginitatem, sed solis honoribus et praemiis provocatam, immo ita quoque vix quemquam allici, cum numerus Vestalium perexiguus, vix septem puellae captae essent. Christianas contra virgines nullis pulchritudinis lenociniis, nullis purpurarum insignibus, nullo deliciarum luxu ut sua sponte continentiam profiterentur adduci. Cumque gentiles ut ad sacerdotes suos praemia et beneficia deferrentur petivissent, opponit eis Christianos, „qui, quamquam eis etiam privatae successionis emolumenta denegentur, non tamen conquerantur“. Iam qua summa iniuria in Christianos animadvertatur exemplis prolatis patefacit atque illustrat. „Quod sacerdotibus fani legaverit christiana vidua valet, quod ministris Dei non valet.“ Et reliquis iniuriis percensis gloriabundus Christianorum mores laudat. „Possessio ecclesiae sumptus est egenorum. Numerent, quos redemerint templa captivos, quae contulerint alimenta pauperibus, quibus exulibus vivendi subsidia ministraverint. Praedia igitur intercepta sunt, non iura.“ Iam ad famem devenit, qua deorum iram significari putabant, quod argumentum cum totum quodammodo vacillaret et claudicaret, non sane ita difficile erat irridere. Commemorat, quoties vigente etiam prisco deorum cultu homines rei frumentariae inopia laboraverint, et quam iniustum futurum fuisset significat, si propter laesos sacerdotes paucos omnes punirentur homines, „inclementior enim esset vindicta, quam culpa“. Quidni dei contumelias eo tempore ulti sint quaerit, cum toto terrarum orbe templorum iura tollebantur. An tum demum iniuriarum eis in mentem venisse? Qui vero id explicari, quod proxima statim messis secuta sit fertilissima, ipsoque illo anno infausto pleraeque provinciae frugibus redundaverint, Gallia videlicet, Pannonia, Rhaetia, Liguria, Venetiae. Quae vero adversarii pollicebantur, fore ut imperatores a deis, si modo eos publice coli curassent, defenderentur, omnino negat. Gentilium enim sacra, quibus ne ipsi quidem idololatri custodirentur, eo etiam minus salutis adlatura imperatoribus, qui numinibus non addicti essent. Contra Symmachum, qui ut mores et consuetudines maiorum servarentur, poposcerat, Ambrosius ea ratione utitur, ut omnia paulatim in melius converti dicat neque priore loco semper manere. Mundum ipsum initio molem fuisse indigestam et progressu temporis discrimine facto coeli, maris, terrae formam suam recepisse, similique modo humum floribus primum, tum fructibus ornari. Eadem ratione homines quoque procedentibus annis infantiae sensus deponere; itaque christianam religionem in locum priorum successisse. „Nulla enim“ inquit, „sine adversario corona victoriae, sed explosa ea opinione, quae ante convaluit, id quod erat verum iure praelatum est.“ Eun-

dem progressum necessarium, per quem meliora semper in locum priorum succederent, inde etiam probari dicit, quod Romani ipsi, non contenti deis, quos primos et proprios habuissent, aliarum quoque gentium numina recepissent. Victoriam, quam illi deam putarent, munus esse, non potestatem, donari eam, non dominari. Cuius ara si in curia reponeretur, ingentem christianis senatoribus imminere iniuriam, cum gentiles, quibus plateae simulacris refertae non sufficerent, in communi quoque consilio communem conditionem aspernarentur. Rem iam ad ipsam imperatoris fidem pertinere, qui idem cogeret, quae iussisset. Et quoniam Gratiani repentinus interitus nonnullis videbatur ortus a deorum negligentia, perversam hanc ratiocinationem refellit prolatis aliorum virorum exemplis, qui quamvis deorum numina summo studio coluissent, tamen fortunae repentinas et subitas vicissitudines non vitassent. Pompeium, quo beatiorem neminem unquam Romana templa habuissent, spadonis manu occubuisse, Cyrum misero modo periisse, Hamilcarem, qui toto proelii tempore inter medias acies dimicantes sacrificia fecisset, cognita suorum clade in ipsos quos adolebat ignes se praecipitasse, Julianum denique, haruspicum responsis male credulum, revertendi facultatem sibi ademisse. At iam ad finem tendens asseverat Ambrosius, lacessentibus se tamquam non lacessitum respondisse, relationem refellisse, non superstitionem exposuisse. Portremo imperatorem admonet, ut cum priores principes patrum cerimonias coluissent, recentiores non amovissent, ipse gentilium ritus non modo non sequeretur, sed fratris statuta servaret.

Symmachi relatio cum in consistorio principis recitata est, omnium animos adeo commovit, ut una voce ei obsequendum esse clamitaretur. Sed contrarium evenit; nam Valentinianus, puerulus tredecim annorum, cui tam gravis causae iudicium habendum esset, neglectis reliquorum sententiis totam rem ad matrem et Ambrosium detulit. Quibus auctoribus nemo mirabitur factum esse, ut senatus Romani petitio per Symmachum prolata reiceretur. Qua de re videnda est Ambrosii cum ep. 57, 3, tum obit. Val. 19: „Et cum universi, qui in consistorio aderant, christiani pariter atque gentiles dicerent esse reddenda, solus velut Daniel excitato in se Dei spiritu arguebat perfidiae Christianos, gentilibus obviabat dicens: quod pius frater eripuit, quomodo a me putatis esse reddendum? cum in eo et religio laedatur et frater, a quo se nollet pietate superari."

Talem habuit exitum petitio senatus Romani iussu a summo illius aetatis oratore habita. Sed quamquam ille operam et oleum, ut dicunt, plane perdidit, ingentem tamen excitavit apud alteros admirationem, indignationem apud alteros. Exorti etiam sunt in maxima hac animorum omnium conturbatione, qui Symmachi argumenta suis rationibus refellerent, quorum

scriptiunculas, plures quidem, ut iudicare licet, deperditas esse certe non nimis dolemus. Ad nos pervenere duo Prudentii libri versibus hexametris in Symmachum scripti, digni omnino, qui legantur. In altero libello deorum numina generatim percenset poeta christianus, in altero ipsam Symmachi orationem sibi redarguendam proposuit. Neque vero tum ultimum de ara Victoriae actum est. Postulata saepius repetita semper negligebantur, velut a. 388. a Theodosio, a. 392. a Valentiniano; qua de re agit Ambros. ep. 57. et imprimis Prosper Aquitanus, per quem docemur, eius quoque petitionis, quae ad Theodosium missa est, auctorem fuisse Symmachum, eumque ab imperatore graviter esse punitum, quae res, nisi religiosissimorum testium fide confirmata erit, eo nos habebit magis incredulos, quod maximam atque insolitam Theodosii in Symmachum clementiam iam novimus. Narratio haec Aquitani habetur in libello de promissionibus Dei, parte 3., promissione 38.: „Theodosii vero religiosi principis imperio per Jovium et Gaudentium comites omnia templa expoliata, quae vana figmenta, quis nostrum permittitur ignorare. Cui Symmachus ille, mirabili eloquio et scientia praeditus, praeconio laudum in consistorio recitato, subtili arte, qua valuit, aram Victoriae in senatu restitui christiano ut noverat principi intimavit. Quem statim a suis aspectibus pulsum in centesimo lapide rhedae non stratae impositum ea die manere praecepit.“

IV. De Symmachi scriptis.

Cum adhuc de publica Symmachi vita egerimus, altera restat pars absolvenda, quae est de summis laudibus, quas ille celeberrimis litterarum studiis assecutus est. Neque ab instituto nostro longius aberraturi videbamur, si qualem litterarum habuisset curam quibusque auctoribus legendis ingenium praestantissimum maxime excoluisset, quam brevissime fieri posset inquireremus. Morbis cum frequentibus, imprimis pedum doloribus, quominus publicis semper rebus operam daret, impediretur et natura ipsa ad vitam magis familiarem et rusticam, quam publicam et forensem inclinaret, quantum ei respublica otii tribuit ad discendam antiquitatem contulit. Iam totus animus ad priscorum temporum contemplationem revocabatur, ex quorum disciplina et remedia petivit ad plurima novae aetatis mala perferenda et vires, quoties evanescerent, semper refecit; legendis enim veterum scriptis homines „contra omnia fortunae tela firmari“ ipse scripsit ep. 9, 123. Quam pauci iam tum fuerint, qui eo animo ad lectionem veterum accederent, ipse lamentatur ep. 3, 11: „Itaque, ut ipse nonnunquam praedicas, spectator veteris monetae solus supersum, ceteros delenimenta aurium capiunt.“ Neque intra Latinorum fines se continebat, sed Graecos quoque bene calluit, quorum in epistolis

saepe facit mentionem. Latinos quam bene cognitos habuerit inde intelligas, quod integros saepius locos ex eis desumptos verbis paululum mutatis orationibus inspersit et in scribendo haud raro sententias eorum immiscuit, velut comicorum epp. 1, 23; 1, 78; 9, 84; 9, 114; Horatii ep. 1, 4. At historicos potissimum studiosa manu versabat, velut Sallustium ep. 4, 24; Caesarem, Livium ep. 4, 18; Plinii Secundi germanica bella ep. 4, 18. Id quoque intelligitur, eius aetate libros nunc deperditos etiam extitisse et scriptores, quos nostra tempora mancos habent, integros fuisse. Livius, ut exemplum proferam, totus etiam legebatur (ep. 9, 13). Quod vero ad linguae elegantiam et ornatum pertinet, neminem, ut par est, M. Tullio potiorem habuit. Ausonii enim scripta ubi summis laudibus effert, nominat ea ep. 1, 31: „Tulliano melle oblitam festivitatem", et amicum in historia scribenda venusto sermone usum ita celebrat, ut dicat ep. 9, 110: „Prope est, ut te arguere debeam, quod saeculo nostro Tulliani stili famam parcus invideas."

Iuvenis Symmachus quoque, ut fieri solet, carmina composuit, quorum tria etiam extant brevissima. Primum (ep. 1, 1) hexametris exaratum agit de Acyndini cuiusdam pictura, altero (ep. 1, 1) Baulorum historiam tractat, tertio (ep. 1, 8) Campaniae pulchritudinem celebrat. Quamquam a patre summopere laudatus (ep. 1, 2), ipse iam tum modeste de semet ipso iudicavit, cum ad patrem scriberet ep. 1, 1: „liceat inter olores canoros anserem strepere." At poetica haec exercitia mox intermisisse videtur, cum eorum mentionem amplius non fecerit. Cum omnium studiorum atque occupationum cardo in arte oratoria verteretur, per quam summam gloriam sibi paravit, prae hac cura reliquas litteras neglexisse videtur. Cf. ep. 9, 33: „Assectatores diligo litterarum, non quod mihi cum talibus studiis ulla cognatio sit, sed quia professio bonarum artium quasi pulchritudo etiam in alieno corpore locata delectat." Philosophiae ignarum ipse se profitetur ad Ausonium scribens ep. 1, 29: „Tune, inquies, audeas de philosophis iudicare. Licet alienas spectare virtutes. Nam et Phidiae Olympium Iovem et Mironis buculam et Polycliti canephoras rudis eius artis hominum pars magna mirata est." Tempora vero oratori non erant commoda. Cum enim omnis paulatim potestas ad imperatores delata esset, neque amplius libere publice loqui liceret, oratori in rebus forensibus os quodammodo erat occlusum. Quid autem dicam de senatu, qui omnem gravitatem adeo penitus amiserat, ut cum nullam amplius servasset auctoritatem, iam res de quibus ageret tantum minimas et infimas habuit. Duo igitur oculi, per quos eloquentia Romana summum artis fastigium nacta late splendebat, cum eruti essent, misericordiam fere movet, quod ab imperatoribus quibusdam clementioribus libertatis speciem ali-

quam redditam audimus, velut cum Valentinianus I. a Symmacho his verbis laudatur (laud. Val. 2, 22): „Sonet apud te libertas forensis eloquii, quam dudum exulem tribunalibus reddidisti. Ruri emeritus torpetat orator; quibus facundiam natura dederat, officium vis regebat.“ Cf. etiam laud. Grat. 2 „Tunc primum (Gratiano septenni consule) forensis industria lege quondam silentii subiugata liberos oculos ad tuum tribunal erexit. Cum in amplissimo magistratu illustre quiddam et dulce resonantia decreta sancires, sensim intelleximus ad honesta officia facundiam posse remeare.“

Ad ipsa scripta percensenda cum devenerimus, distinguendum omnino videtur. Itaque primum agemus

A. de orationibus.

Antequam in singulas accuratius inquiramus, id quod supra iam attigimus hoc quoque loco est commemorandum, haberi videlicet in orationibus saepissime veterum auctorum locos in novum usum conformatos. Huc praeter alia id pertinet, quod in laud. Valent. I, 2 Ciceronis verba recitantur ex divin.. in Caecil. 12 desumpta et in laud. Grat. 9 Vergilii locus paulo mutatus commemoratur. Quod si in paucularum orationum minutis fragmentis talis imitatio etiamnunc dinoscitur, quantam eam fuisse putemus tota orationum integrarum serie. Inter orationes, quas Symmachus habuit, plures sunt panegyricae, de quo genere dicendi verba quaedam facere non videbatur alienum esse. Imperatorum temporibus usus percrebuit principes per panegyricos laudandi, cuius generis primum idque praestantissimum exemplar Plinii panegyricus in Traianum extat, qui dulcissimo et elegantissimo sermone conscriptus nimis tamen iam in adulationem vergit. Cum procedentibus annis neglecta omni verae gloriae cura adulatio sola per istos panegyricos appeteretur, non facta illustria ornare, non res bene et fortiter gestas laudare, non ingenii virtutes digno praeconio celebrare, non morum integritatem iusta praedicatione efferre in animo habebant oratores, sed quamvis rem vel maxime vulgarem et ignobilem quibuslibet laudum cumulis augere studebant. Quid quod tales panegyrici coram ipsis imperatoribus saepe vehementissima vituperatione quam laudibus multo dignioribus recitabantur, vel saltem familiaribus imperatorum praesentibus praelegebantur, qui per inveteratam atque innatam adulationem mentis sanae amplius fere non compotes laudes principum nonnisi immoderatissimas ferebant. Neque Symmachus a lege illa atque norma, in quam laudationum istarum scriptores per diuturnum usum iam pervenerant, recessit, sed quod in reliquos huius aetatis panegyricorum scriptores, idem in illum quoque cadit. Ipsam orationum censuram acturis initium videtur faciendum a laudi-

bus Maximi, quae ei male cesserunt. Rem ipsam quoniam supra iam commemoravimus, hoc loco testimonia proferemus. Testis praestantissimus est Cassiodor. hist. trip. 9, 23: „Verum imperator Theodosius dum tyrannum aggrederetur, cognoscentes Maximi milites praesentiam instructionis imperialis et signorum eius adventum, nec famae quidem ipsius impetum sustinere praevaluerunt, sed apprehendentes tyrannum vinctum ei protinus obtulerunt, qui eodem consulatu peremptus est septima et vigesima die Augusti mensis . . . Tunc igitur imperatores Valentinianus et Theodosius peracta victoria venere Romam. Erat enim cum eis pariter et Honorios valde puer . . . Dumque in Romana urbe morarentur festivitates pro victoria celebrantes, tunc suam bonitatem circa Symmachum exconsulem Theodosius imperator ostendit. Is enim Symmachus inter senatores praecipuus habebatur eratque Romani eloquii eruditione mirabilis, cuius multi quoque reperiuntur libri. Scripsit autem Maximi laudem eamque recitavit, unde postea reus maiestatis esse videbatur. Quamobrem mortem metuens confugit in ecclesiam. Verum imperator, cum esset perfectissimae christianitatis et non solum suae fidei sacerdotes honoraret sed etiam Novatianos, qui proxime ipsius fidei decreta servarent, Leontio tunc Romano episcopo ecclesiae Novatianorum roganti beneficium conferens, Symmachum absolvit a crimine. Cumque veniam Symmachus meruisset, Apologeticum, id est satisfactionalem librum Theodosio conscripsit imperatori.“ In hac narratione plana et perspicua id modo mirabile inest, quod a. 388., quo Maximus interfectus est et orator in ecclesiam confugit, iam nominatur exconsul, cum a. demum 391. primum, quod scimus, consulatum gesserit. Eadem narratio habetur apud Niceph. Callist. hist. eccl. 12, 21; Socratem h. e. 5, 14; Suidam s. v. καθοσίωσις. Symmachus ipse rem ingratissimam demisso animo et verbis flebilibus attigit ep. 8, 69: „Unum quippe hoc litterarum genus (epistolas dicit scribendas) superest post amaros casus orationum mearum, quod me ad usum scribendi possit allicere.“ Ad apologeticum librum Theodosio missum spectant, quae sunt in ep. 2, 13: „Cum civiles et bellicas laudes domini nostri Theodosii stili honore percurrerem (magis enim contigisse me omnia, quam satis fecisse singulis fateor), etiam leges eius bonis pacis admiscui, quas ut noveram priscis ademisse admirationem, ita reservasse novis parem gloriam non putabam etc“. Pauculi hi versus modo prolati iam demonstrant oratorem laudationum cothurno ingredientem et viam ab omnibus tritam ipsum quoque carpentem.

Orationum, quae iam prorsus deperditae habebantur, fragmenta quaedam A. Maius invenit primusque edidit Mediolani 1815., ad quae postea pauca quaedam accesserunt.

Cui ea oratoris imago obversatur, quam universus illius aetatis consensus refert, is expectatione falsus a legendis istis fragmentis desistet. Tres sunt laudationes, quarum duae in Valentinianum seniorem Augustum, tertia in Gratianum Augustum habita. Omnia, quae in tali panegyricorum genere vituperanda denotabantur, in Symmachi quoque orationibus occurrunt, eadem nimia imperatorum adulatio, idem qui apud reliquos sermo. Ceterarum orationum fragmenta eadem dicendi arte composita argumenti sunt multo inferioris. Cum mos aetate illa increbuisset, ut qui consulatu dignissimi viderentur, eos senatus designaret, principes confirmarent, Symmachus oratione quae inscribitur „laudes in patres“ hanc consuetudinem omnibus quae unquam fuissent multo esse potiorem contendit. Oratione „pro patre“ dicta, quam in senatu habitam esse pluribus ipsius locis manifesto convincitur, senatui patris gratias, qui consul fuerat creatus, refert et in nova aetate laudanda commoratur. In eis, quae „pro Trygetio“ dixit, ita orditur, ut senatui gratias agat, quod patrem propter iniurias ruri viventem mox tam honorifice revocassent, quo facto Trygetium, praeturae candidatum, summopere commendat. Cumque ea fuerit consuetudo, ut qui ordinem senatorium adpeterent laudatores haberent, a quibus commendarentur, hoc officio fungitur Symmachus in oratione „pro Synesio,“ qua eum honore senatorio dignum ostendit. „Oratio pro Severo“ laudes complectitur Severi cuiusdam, qui post munera quaedam sancte administrata in senatum lectus erat.

Attamen quamquam orationum fragmenta non ita magnam expectationem movent, illius certe aetatis facundissimus et disertissimus erat, quae res maximo testium numero confirmari potest. Nam ut Cassiodori locum supra commemoratum taceam, idem Variar. 11, 1 in fine „facundissimi Symmachi eximium dictum“ profert, et simile legimus iudicium Nicephori Call. h. e. 12, 21 in fine et Socratis h. e. 5, 14. Iam vero ex ipsius epistolis quantopere laudes eius apud omnes aequales celebratae fuerint, cognoscimus. Orationes suas laudatas dicit a Syagrio ep. 1, 96; ab Hesperio ep. 1, 78; a Minervio ep. 4, 18; laudes iam ad universos penetrasse ipse profitetur ep. 5, 47: „Scribis reverentiam nostri ad omnes vigere. Gaudeo huiusmodi testimonio, sed profiteor opera tua fieri, ut taliter vireat existimatio mea.“ Similiter epp. 1, 52; 1, 105; 3, 7; 5, 43. Quanti habitus sit luculento testimonio Macrobius est, qui eum participem esse voluit collocutionum, quas Saturnalium tempore habitas fingit. Saepius honestissimam eius facit mentionem, velut 1, 1, 4; 1, 2, 14; 1, 4, 26 etc., imprimis 5, 1: „Quatuor sunt genera dicendi: copiosum, in quo Cicero dominatur, breve, in quo Sallustius regnat, siccum, quod Frontoni ascribitur, pingue et floridum, in quo Plinius Secundus quondam et nunc nullo veterum minor Sym-

machus luxuriatur.“ Quam honorificum Ausonius de eo iudicium fecerit et supra notavimus et ex ep. 1, 32, quam ad Symmachum dedit, cognoscas, quae solis eius laudibus referta est. Neque vero latinae linguae finibus eius gloria circumscripta erat, sed ad Graecos quoque eius laudes penetraverunt, ex quorum numero Libanius multis in rebus Symmachi simillimus, epistolam (75) insignem ad eum dedit.

Quid, quod non aequales modo et socii cum latini tum graeci, sed infestissimi quoque adversarii, qui de petitione, quam pro ara Victoriae habuit, acerbissime cum eo decertaverant et vehementissime in eum invecti erant, aequo animo summas ei laudes oratorias concedebant, immo planis verbis sua sponte etiam eum celebrabant. Ecquidnam gloriosius est eis, quae Ambrosius initio secundi libelli contra Symmachum scripti profitetur: „Aurea enim est lingua sapientium litteratorum, quae phaleratis dotata sermonibus et quodam splendentis eloquii velut coloris pretiosi corusco resultans capit animorum oculos specie formosi visuque perstringit.“ Prudentius, ut alterum testem in medium proferam, priusquam ipsum argumentum sibi propositum adeat, non modo imparem se Symmachi facundiae appellat, sed ipsi gloriam summi oratoris aequo animo attribuit. Eius versus I. 633 sqq. hac in quaestione praetermittendi non sunt:

„O linguam miro verborum fonte fluentem,
Romani decus eloquii, cui cedat et ipse
Tullius, has fundit dives facundia gemmas,
Os dignum aeterno tantum quod fulgeat auro,
Si mallet laudare Deum, cui sordida monstra
Praetulit et liquidam temeravit crimine vocem,
Haud aliter, quam si rastris quis tentet eburnis
Coenosum versare solum, limoque madentes
Excolere aureolis si forte ligonibus ulvas.
Splendorem dentis nitidi scrobis inquinat atra,
Et pretiosa acies squalente sordet in arvo.“

Iterumque I. 649:

„Jnlaesus maneat liber excellensque volumen
Obtineat partam dicendi fulmine famam.“

Quae laudationes, quamvis nimis auctae et exaggeratae, eo tamen maioris videntur momenti, quod ab eo profectae sunt, qui nisi necessitate coactus omni certe assensu abstinuisset. Idem de Symmacho addit II. praef. 56:

„quo nunc nemo disertior
exultat, fremit, intonat,
ventisque eloquii tumet.“

Alia, velut quod eum II. 644 appellat „orandi arte potentem“ et quae etiam habentur eius generis eo facilius praeterire licebit, quod cum gravissimis locis modo prolatis comparata momenti multo levioris sunt. Quae protulimus docu-

menta satis superque ostendunt, quam summis laudibus uno consensu ab omnibus doctis non solum defensio, quam susceperat arae Victoriae, sed universae omnio eius orationes elatae sint.

Quod si cum his singularis gloriae praeconiis iudicium, quod ipse de se habuit, confertur, profecto viri incredibilis quaedam et rara modestia agnoscitur. Nam ut taceam, quod ad patrem scripsit ep. 1, 1: „omnis quippe ostentatio non caret suspicione mendacii, quia quicquid assumitur proprium non putatur," multis etiam locis severissime de semet ipso iudicat, velut cum se nominat „ingenii pauperis" (ep. 9, 88), linguae modicum (ep. 7, 20), tenuis facundiae et paupertini ingenii (ep. 8, 22), mediocrem iudicem (ep. 8, 22). Ad Protadium scribens se „elegantia sermonis imparem" nominat (ep. 4, 26). Quid quod desperationis fere confessiones habentur. Ep. 4, 45: „Fiducia mihi stili atque ingenii nulla est," et ad Vitalem, virum nunc plane ignotum, haec misit verba, ep. 8, 49: „te submittas ad mediocritatem scriptorum meorum, ne retundatur officium meum, dum desperatur imitatio." Amici laudes, quibus orationes suas celebratas cognovit, quasi indignissimus non admisit (ep. 9, 87).

Procedentibus annis et senectute appropinquante scripta sua aridiora facta esse, ipse testatur ep. 4, 28: „Nunc graves quoque anni, si quid de pectore meo stillabat, ebiberunt."

Orationes, quae plausum tulerant, paulo post quam habitae sunt cum ederet (ep. 3, 7), amicorum opinionem saepe consuluit. Ex ep. 4, 64 intelligitur, eum amico cuidam quinque orationes etiam ineditas misisse eiusque censuram poposcisse. Cf. ep. 1, 52.

B. Epistolae.

Mire fortuna lusit in scriptis Symmachianis. Nam cum ex amplo orationum numero, quae omnium aequalium communi consensu summopere celebrabantur, nil fere ad nostram aetatem pervenerit, et quae lacera fragmenta temporum iniuriam toleraverunt non sufficiant, ut oratoriae gravitatis imaginem restituant, epistolas eiusdem auctoris, quas fere integras etiam habemus servatas, illius aetatis scriptores nunquam commemorant. Priusquam vero accuratiorem epistolarum censuram aggrediamur, praemonenda sunt quaedam de ratione, quae in litteris mittendis tum usu recepta fuerit. Quo tempore Romanorum respublica iam ad occasum vergebat, consuetudo exorta est, ut litterae uberiores et scriberentur et ederentur. Nam cum in imperio ingenti et vastissimo res gestae vel quae alia maioris momenti accidebant publice non divulgarentur, consentaneum certe erat, ut ii imprimis, qui amplioribus in civitate muneribus fungebantur, amicos et alios, quorum intererat,

de eis quae evenissent per epistolas certiores facerent. Inde facile eo progrediebantur, ut quas scriberent epistolas iam non solis amicis et familiaribus, sed maximo eruditorum hominum numero destinarent. Ita factum est, ut in hoc scribendi genere litterarum formam tantum retinerent, reliqua eo iam componerent consilio, ut in plurimorum manus pervenirent, ex epistolarum forma vero sibi libertatem dicendi peterent, ut quasi familiariter cum familiaribus agerent liberiore quodam sermone de rebus publicis dissererent. Quamquam imperatorum aetate per acta illa diurna, quae iam edi coepta sunt, scribendi ista incitatio et quodammodo necessitas aliquantulum remota est, mansit tamen studium de rebus, quae vel publice vel in litteris notabiliores videbantur, per epistolas agendi. Quid, quod eo usque perventum est, ut ipsae quaestiones philosophicae hac forma induerentur, ex quo genere L. Annaei Senecae epistolas esse constat. Ab hac scribendi consuetudine multum differunt Plinii epistolae, quas ille ad amicos scripsit de rebus publicis, privatis, domesticis, ad quas exarandas summam contulit diligentiam et artem, ita ut prorsus ex scriptoris sententia etiam nunc habeantur elegantissimae latinitatis monumenta. Idcirco eis, qui suaviorem sermonem appetebant, antiquitus iam imitandus proponebatur, qua de re digna est quae relegatur Sidonii Apollinaris ep. 1, 1, unde cognoscas, quid illa aetate de exemplaribus censuerint, quae in arte scribendarum litterarum imitarentur atque exprimerent: „Diu praecipis, domine maior, summa suadendi auctoritate, sicut es in his, quae deliberabuntur, consiliosissimus, ut si quae litterae paulo politiores varia occasione fluxerunt, prout eas causa, persona, tempus elicuit, omnes retractatis exemplaribus enucleatisque uno volumine includam, Quinti Symmachi rotunditatem, Cai Plinii disciplinam maturitatemque vestigiis praesumptuosis insecuturus. Nam de Marco Tullio silere in stilo epistolari melius puto, quem nec Ticianus totus sub nominibus illustrium feminarum digna similitudine expressit.“ Iam hic notandum videtur, Sidonium Apollinarem unum huius aetatis esse scriptorem, qui epistolarum Symmachi mentionem fecerit.

Ad quas cum ipsas iam devenerimus, numerum earum cognoscimus esse 964, quae in decem libros distributae, si exceperis epp. 1, 2 patris, 1, 32 Ausonii, 10, 72 Honorii, 10, 74 presbyterorum, 10, 75 Honorii, 10, 77 Honorii, 10, 79 Constantii, 10, 80 Honorii, 10, 82 Honorii, omnes a Symmacho scriptae sunt.

Quicumque amplam et vastam epistolarum copiam consideraverit, quarum maior pars ad eos viros data est, qui aut honores in civitate principes obtinebant, aut cum privati essent litterarum studiis et laudibus vel alio quodam modo excellebant, magnum certe hinc speret proventurum adminiculum ad pernoscendam temporum illorum summam varietatem. Quod

utinam esset. At contrarium paene accidit. Nam maior epistolarum numerus tantum abest, ut temporum gravitatem persequatur, ut minimi et infimi sit argumenti. Plurimae agunt de commendandis amicis, iuvenibus, aliis, de filii quaestura et praetura, aliae querimonias continent de mala valetudine, excusationes negligentis simulque promissiones frequentioris scripturae et alia id genus. Ipse Symmachus litteras omni argumentorum gravitate carentes conqueritur, cum scribit (ep. 3, 10): „Expectas a me litteras largiores... sed velim tibi verborum copiam displicere. Nam quid agat, quo se vertat, ubi immoretur cassa rebus oratio.“ Id certe perquam mirum videatur oportet. An ullo modo verisimile est, virum eum, qui quoad vixit principem in senatu obtinuit locum, summis honoribus functus est, praestantissimos illius aetatis viros amicos habuit, ipse inter familiares imperatorum numerabatur, in epistolis, quas ad viros sibi summa amicitia devinctos eosdemque honestissimos dedit, alia quae commemoraret non habuisse, nisi malam valetudinem suam vel rerum de quibus scriberet paucitatem. Quid, quod celeberrimae petitionis, quam habuit pro ara Victoriae, per quam totus terrarum orbis excitatus est, tot epistolis ne semel quidem fecit mentionem. Adde, quod litteras non ad ignotos quosdam homunculos, qui nullius viderentur auctoritatis, misit, sed ad viros splendidissimos et in civitate ornatissimos. An erit, qui sibi persuadeat, Ausonios, Praetextatos, Probos, Syagrios, Flavianos, Eutropios tales fuisse, quibuscum de solis rebus exiguis atque vilibus ageretur. Minime certe. Quod unde factum esset cum perquireremus, duae occurrebant causae. Omnium primum monendus es, ne eis decipiaris, quae habentur in epistola ad Flavianum missa (ep. 2, 35): „Quousque enim dandae ac reddendae salutationis verba blatterabimus, cum alia stilo materia non suppetat? At olim parentes etiam patriae negotia, quae nunc angusta vel nulla sunt, in familiares paginas conferebant. Id quia versis ad otium rebus omisimus, captanda sunt nobis plerumque intentata scribendi semina, quae fastidium tergeant generalium litterarum.“ Nam ut nonnunquam haec excusatio valuerit, in omnes epistolas certe non cadebat. Causa prorsus alia erat. Quoties res quaedam gravioris momenti nuntianda erat, propriae chartulae seorsim inscripta tabellario tradebatur, qui ut hos codicillos nonnisi ipsi illi traderet, ad quem missus erat, iubebatur, simulque ei litterae committebantur, quae res generales modo de valetudine et quae alia sunt eius generis continebant et ut ab omnibus legerentur destinatae erant, cum codicilli illi, quos priores denotavi, uni tantum legendi essent. Ad nos ex Symmachianis epistolis solae fere generales pervenerunt, cum libelli illi, quibus graviora continebantur, deperditi sint, unde facile mira illa epistolarum simplicitas explicatur.

Restat, ut huius ratiocinationis argumenta proferam, quae non ex remoto fonte hausta, sed ex ipsius Symmachi locis petita proponam. Legenda est ep. 6, 65 ad Nicomachi filios scripta: „Scribenda non desunt, sed horret animus loqui dura memoratu. Video tamen famam rerum urbanarum nequaquam posse cohiberi, quae ut fieri amat in maius praesentia annuntiabit. Id ne accidat, breviario addito noscenda discrevimus, ut neque litterae, quae vobis salutationem ferunt, de sollicitis amaritudinem trahant et nihilominus rumorum licentiam fides scriptionis excludat. Sed de his hactenus.“ Reliqua epistola, quinque versiculis comprehensa, id unum orat, ne filiae, quae minus commoda valetudine uteretur, malus rei publicae status narretur. En profecto rem certissimam, de qua dubitare non licet. Factum grave, quod dicere „animus horret“ seorsim suo libello enarratur, simul pagella additur, quae rem generalem continet. Idem cadit in ep. 6, 48. Gratias pro natalitiis missis agit filiamque, ut maiorem curam reficiendae valetudini tribuat hortatus res publicas seorsim nuntiari his verbis significat: „quae ad urbem pertinent, indiculi cohaerentis lectione noscetis.“ Similiter ep. 6, 55, in qua epistola generalia modo continentur, cum „negotia quaedam urbana“ suo codicillo adposita sint. Conferenda etiam est ep. 7, 82, per quam Messalam adit, ut familiares suos, quos equorum emendorum causa in Hispaniam miserat, adiuvet. Quae vero singula desideraret in ipsa epistola non significavit, cum adderet: „Longum fiat, si velim litteris praestanda percurrere. Capita rerum subiecto indiculo strictim notavi.“ Neque vero ea sola erat causa, cur litterae gravioribus argumentis carerent; altera accessit. Cum non ita raro evenisset, ut epistolae supprimerentur (epp. 2, 12; 4, 11), res maioris momenti tabellarii fidei committebantur, quas coram enarraret, simul exiguas litterulas adportans, quae scribentis animum significarent et nuntii sinceritatem testarentur. Cuius rei clarissimum documentum habetur ep. 6, 50, quae tota haec est: „Scribere non recuso, sed malui domino filio meo Sibidio narranda coram per otium reservare. Sola igitur salutatione fungetur haec pagina, cuius brevitas et vestro honori satisfaciet nec illi referenda decerpet.“ Eadem est ep. 4, 44. In ep. 3, 30 cum Sallustium commendaret haec addidit: „Supplementa autem desiderii eius a tabellario epistolae suggerentur, quae stilo persequi supervacaneum duxi. Aptius est enim negotiis mutuo intimandis vivae vocis indicium.“ Adde etiam ep. 3, 69, qua Flavianum Ricomeri commendat et cum quae de illo malignorum hominum rumor divulgasset, falsa esse contendisset ita pergit: „Querelae autem genus hominum eius suggestio, si iusseris, melius prosequetur, quia multiplex iniuria modum epistolae familiaris excedit.“ His argumentis sat perspicue demonstrasse nobis videmur, qui factum sit, ut pleraeque epistolae in rebus

minoribus et quotidianis versentur, raro una vel altera at graviora procedat.

Quae etiam dicenda sunt facilius explicabuntur, si antea a quonam litterae in publicum editae sint quaesiverimus. Nonnullas vivo etiam Symmacho ab amicis vulgatas esse, colligas ex. ep. 5, 86: „Et tamen voluntati tuae (qua ut responderem poposcisti) pareo nec vereor, ne temere a me effusa verba in paginis librarii tui referas. Nam si quid horum, quae apud te incuriosius loquor, cuipiam lectori nauseam moverit, non tam in scribendo negligentia mea, quam tua in describendo diligentia displicebit." Nam cum, ne ad orationes haec referantur, verba „quae apud te incuriosius loquor" vetent, intelligitur Helpidium, ad quem epistola missa est, litteras, quas a Symmacho acceperat, edidisse. Attamen hac in re cavendum est, ne quae habentur in ep. 2, 12 „Merito apographa epistolarum mearum...tibi subieci" in malam partem accipias, quasi editionem a se factam significet, cum illic tantummodo de epistolis fraudulose suppressis agatur, pro quibus se amico apographa missurum esse profitetur. Magni momenti in hac quaestione dirimenda est ep. 4, 34: „Temere iurasti. Mandari enim periturae chartae epistolas quereris et alligasti sacramento enorme iudicium. Itane me ludos facis, ut quae apud te incuriosius loquor in stili caudices aut tiliae pugillares censeas transferenda, ne facilis senectus papyri scripta corrumpat?....Magna sunt auctoritatis tuae pondera, nec possum gratiosum putare, quod tu iuratus allegas; sed cum me rursus inspicio, labascit fides et refragatur testimonio conscientia. Ita quod credibile persona iudicis facit, diffidentia respuit audientis." Ex his enim intelligitur, iam Symmachi aetate fuisse, qui quas ab eo accepissent litteras ederent aut edendi consilium certe haberent, cum ipse quamvis a multis saepe admonitus id semper recusaret, quod profecto dolendum est. Nam si litteras quas ederet ipse recensuisset, eis nunc uteremur et gravioribus et praestantioribus.

Sed, ut haec taceamus, alia etiam accedunt, quibus ne epistolas quas nunc legimus ab ipso Symmacho collectas atque editas putemus vetamur. Id enim si factum esset, certe

1) ei scriptores, qui orationes summis laudibus celebrabant, epistolarum quoque mentionem fecissent, quae, si Sidonium Apollinarem exceperis, a nullo commemorantur;

2) ipse meliorem delectum habuisset neque levissimas solas divulgasset, sed graviores, quas supra denotavimus suis codicillis missas, adiecisset;

3) aliorum epistolas, qualis est Ausonii 1, 32, aut non recepisset, aut plures eius generis assumpsisset;

4) ipse consilium, quod in edendo habuisset, etiam significasset, ut Plinius et Sidonius Apollinaris fecerunt, qui epi-

stolis collectis primam praeposuerunt, qua rationes, quibus permoti litteras edidissent, explicabant;

5) maiorem curam habuisset in deligendis epistolis. Nam qui plerisque viris illustribus eius aetatis familiari amicitia coniunctus et per epistolarum commercium frequentissimum consociatus esset (cf. ep. 6, 76 „nullus dies absque epistolis meis labitur"), multas languidiores delevisset et in earum locum quae dignius legerentur reposuisset. Ex multis, quae mira sunt et ostendunt, quam nullo consilio is qui litteras edidit ductus sit, id unum commemorasse sufficiat, quod inter tot epistolas ne una quidem habetur ad Macrobium data, quamquam aliunde notum est, quam arctissimo familiaritatis vinculo ambo coniuncti fuerint;

6) ex ipsa latinitate cognosci potest, plurimas epistolas non fuisse destinatas, ut in publicum prodirent. Sermo enim si cum orationibus comparatur plerumque incuriosam negligentiam prodit.

Restat, ut a quonam et quando epistolae editae sint inquiramus. Vulgo eam operam ad Q. Flavium Memmium Symmachum, oratoris filium, referunt, librorum manuscriptorum, si recte sentio, auctoritatem secuti, qui talem significationem habere videntur. Cuius rei quamquam apud nullum auctorem certum extat documentum, ea tamen et verisimillima et certissima est. Nam cum ipse orator epistolas non esset editurus, neque eas ordine quodam disposuisset, eum certe edendi officio functum esse putemus, in cuius potestate atque arbitrio post oratoris obitum libri et chartae, quas ille reliquerat, essent, qua in re nemo certe filio unico praeferebatur. Neque ita multo post patris mortem editionem procurasse videtur, cum Sidonii Apollinaris aetate epistolae iam notae essent et multi eas imitarentur.

Cum hac explicatione omnia, quae in epistolis miros nos habent, facile conciliantur. Nam filius quascunque litteras post patris mortem etiam invenit, omnes certe edidit, quo factum est, ut tot habeantur argumenti infimi, tot omnino desiderentur, quas olim extitisse certissimum est, immo scriptiunculae quaedam epistolis adnumeratae et una editae sint, quae ne referendae quidem videntur inter epistolas et a solo eo poterant recipi, qui nullo delectu habito chartulas superstites omnes divulgaret. Duas eius generis scriptiones hoc loco adponam, quae eam quoque ob causam consideratione non indignae esse videntur, cum quales illa aetate fuerint invitationes liquido ostendant. Altera est ep. 8, 71: „Praefato divinitatis favore urbanae praeturae fasces filius meus Symmachus Calendis Januariis sortietur. Praesentia tua ornari eius officium participata petitione deposcimus. Vale"; altera simillima ep. 8, 72: „Divinitatis honore praemisso filius meus Symmachus Calendis

Januariis praeturae urbanae accipiet magistratum. Quaeso, ut praesentia tua festa nostra conhonestes. Vale."

Cum quam rationem in epistolis colligendis secutus sit Symmachi filius quaerimus, temporum ordinem certissime non servavit. Ne in re, quae adeo omni dubio exempta est, ut quicumque obiter modo litteras inspexerit, statim id sibi persuadeat, tempus frustra teramus, id strictim modo attigisse satis erit. Ep. 2, 64 narrat Symmachus, se „praeparatione consulatus exerceri", quem cecidisse scimus in annum 391., libro decimo vero epistolae continentur, quae cum ad praefecturam urbanam spectent, anni 384. sunt. Ep. 5, 10 Theodoro consulatum gratulatur, quo ille functus est a. 399., qui annus ultimus est, ex quo certa Symmachi nota ad nos pervenit et ep. 8, 69 filium suum natu etiam minorem esse dicit seque illius studiorum participem fieri.

In epistolis disponendis Plinii exemplo ductus esse videtur Memmius Symmachus. Nam ut is quas epistolas aut a Traiano acceperat aut ad illum miserat, seorsim collegit et librum decimum reliquis litteris in novem libros digestis addidit, simili prorsus ratione Symmachus epistolas in decem libros disposuit, quorum ultimus eas continet, quae in praefecturam urbanam cadunt. Attamen aut ordo postea immutabatur aut iam ab initio non certus et constans servabatur, nam in priore libri decimi parte epistolae plurimae acephalae habentur, quarum magna pars non ad ea pertinet, quae a. 384. inter imperatores et Symmachum de rebus publicis acta sunt. Reliquas litteras ita descriptas legimus, ut quas at patrem miserat primum locum obtineant, in ceteris disponendis ordo eorum, ad quos datae sunt, servetur ita, ut quae ad unum alterumve pertinent deinceps se excipiant neque aliis interpositis divellantur. Epistolae ad Flavianum scriptae, cum maior earum sit numerus, in unum et quidem secundum librum sunt redactae. In constituenda serie eorum, ad quos litterae datae sunt, ordo nullus est adhibitus. Exterior haec forma epistolarum in decem volumina distributarum omnem fere continet similitudinem, quae inter Plinium et Symmachum intercedit, cum reliquis in rebus magnopere differant.

Cum tamdiu de Symmachi epistolis egerimus easque omni fere auctoritate privaverimus, restat, ut quibus in rebus excellant et cur ut legantur commendari debeant dicamus. Nam ut ex eis magnam illius aetatis notitiam non petas, quamquam habentur hic illic, quae consideratu digna sint, ut sermo cum summis, quae in eo genere excelluerunt, ingeniis comparationem non ferat, tamen expeditam quandam eamque facilem et incomptam orationem cognosces, quae de iisdem rebus semper repetitis vario quodam et multiplici dicendi genere agat. Ne id quidem brevi commemoratione indignum videtur, qui tandem factum sit, ut orationes celeber-

rimae prorsus deperderentur, epistolae ignobiliores, quas ne ipse quidem scriptor edidisset, tot servarentur. Causa mihi videtur duplex esse, altera, quod litterae, cum multi eis uterentur, ut sermonem suum ita expolirent, saepius et accuratius descriptae sunt, altera, quod inter epistolas libri decimi habetur etiam petitio pro ara Victoriae, quae adeo celebrata et lectitata erat, ut reliquis etiam epistolis esset quodammodo firmamento, cum orationes, quae neque a rhetoribus imitandae proponerentur et exemplari prae ceteris tantopere eminenti carerent, communi tot scriptorum sorte correptae sint.

Restat, ut num alia quoque Symmachus scripserit quaeramus, qua de re habetur apud Jornandem, de rebus Geticis c. 15: „Ex eorum reliquiis fuit et Maximinus imperator post Alexandrum Mammeae, ut dicit Symmachus in quinto suae historiae libro.“ Narrat ibi Jornandes Symmachi historiam secutus, quonam modo Maximinus, quamquam infimo loco natus, summos tamen honores adeptus sit additque in fine eiusdem capitis: „quod nos idcirco huic opusculo de Symmachi historia mutuavimus, quatenus gentem, unde agimus, ostenderemus ad regni Romani fastigium usque venisse.“

Cum vero huius narrationis auctorem alium habeamus nullum, ad quemnam Symmachum referatur, incertum est relinquendum.

V. De Symmachi latinitate.

In extrema dissertatione verba quaedam facere de latinitate, qua usus est celeberrimus illius aetatis orator, non displicebat, qua in quaestione distinguendum videtur inter orationes et epistolas. Supra enim iam monebamus, imaginem summi illius viri, quam etiamnunc nobis effingere possumus diligenter consideratis mutilis orationum fragmentis magnopere distare ab eximiis laudibus, quibus ab aequalibus celebrabatur omnibus. Nam Tulliani mellis facundiam, quam Symmachus tanti habuit semperque imitandam proposuit, in exiguis reliquiis, quae ad nostra usque tempora pervenere, frustra quaeres. Magis apparet Plinii imitatio, cuius urbanam festivitatem et arte excultam dicendi elegantiam utinam assecutus esset. Sed cum quivis scriptor non ab omni temporum coniunctione seiunctus sit metiendus, sed cum ipsis aequalibus collatus ex sua aetate debeat aestimari, id in Symmachum opportune cadit eique magnam auctoritatem alioquin negandam certe restituit. At iam oratiunculis facile neglectis ad ipsam epistolarum censuram adeamus. Nam ut taceam, quod familiaris litterarum usus et argumentorum exilitas id secum ferre solet, ut sermo negligentius quodammodo et solutius decurrat et saepe eam sibi poscat licentiam, quae ab aliis scriptionibus iam propter argumentorum gravitatem abesse

debet, Symmachus, quem supra demonstravimus epistolas suas non modo non edidisse, sed ne eo quidem consilio, ut unquam ederentur, conscripsisse, clarissimum et unicum documentum nobis relictum est, ex quo cognoscamus, qua arte, quibus studiis quave negligentia summi illius aetatis viri domesticum epistolarum usum exercere soliti sint. Sed priusquam ad singula nos verteremus, aptissimo hoc loco iudicia commemorare placuit, quae Symmachus ipse habuit de sermone epistolari. Manifesta eius verba sunt in ep. 7, 9: „Nam ut in vestitu hominum ceteroque vitae cultu loco ac tempori apta sumuntur, ita ingeniorum varietas in familiaribus scriptis negligentiam quandam debet imitari, in forensibus vero quatere arma facundiae." Quantopere vulgaris lingua ab eruditorum sermone abhorreat, bene perspexit, cum ad amicum scribat ep. 3, 11: „Sumsi pariter geminas litteras tuas, nestorea ut ita dicam manu scriptas, quarum sequi gravitatem laboro. Trahit enim nos usus temporis in argutias plausibilis sermonis. Quare aequius admitte linguam saeculi nostri et deesse huic epistolae atticam sanitatem boni consule." Cum vero nonnulli, ut populares voces vitarent, eo usque recessissent, ut antiquissima vocabula iam diu obsoleta et incognita reducerent, tale studium, quamquam ipsum se eo nonnunquam relapsum profitetur, aperte tamen vituperat. Cf. ep. 3, 44: „Concedo in leges tuas et ἀρχαισμὸν scribendi non invitus affecto. Tu tamen fac memineris, illud potius simplex nonnullis videri, quod sequentis aetatis usus recepit . . . Si tibi vetustatis tantum est amor, pari studio in verba prisca redeamus, quibus Salii canunt et augures avem consulunt et decemviri tabulas condiderunt. Iamdudum his renuntiatum est, ut successio temporum placita priora mutavit . . . Atqui praestat Tullium sequi, qui ignorata maioribus usurpat exordia." Ne vero quid intactum relinquamus, id quoque monemus, Symmachum in epistolis inscribendis veterum morem iam a plerisque neglectum servasse et sine ullo honorum et titulorum fuco solum suum et eius, ad quem litterae datae erant, nomen praeposuisse, quod colligas ex ep. 2, 35, cum qua sane ea, quae ep. 3, 44 adduntur, non bene convenire videntur.

Qui nunc de ea, qua Symmachus in scribendo usus est, latinitate agere sibi proposuit, ei certe venia petenda est docti lectoris. Nam cum oratoris epistolarum recentissima editio prodierit a. 1617. Neapoli Nemetum (iterum impressa Francofurti 1642., 1651.) eaque multis locis aperte vitiosa, aliis inquinata sit malis emendationibus, praeterea propter typorum turpissimorum incredibiles errores saepius sensum plane nullum exhibeat, facile intelligitur quanta opus sit cautione, ne Symmacho impertias, quae ad incultum impressorem pertinent. Itaque pauciora, sed quae certa viderentur, delibare potius

constituimus, quam magnum rerum acervum conferre, de quo dubitandum esset. Cum igitur ea plerumque sola notaverimus, quae saepius occurrerent et ita se ipsa genuina profiterentur, singulos locos, quibus haberentur, denotare omnes ut molestum ita superfluum duximus. Ordiendum videbatur a titulis et tum procedendum ad reliqua verborum genera.

Tituli.

1) *Imperatorum:* Dominus (ep. 2, 13); aeternitas (epp. 10, 23; 10, 34); clementia (ep. 10, 43); felicitas (ep. 10, 38); coelestis mansuetudo (ep. 10, 54); numen (ep. 10, 54); perennitas (epp. 10, 26; 10, 38); serenitas (ep. 10, 28); tranquillitas (ep. 10, 53); maiestas (epp. 10, 23; 10, 39); parentes generis humani (laud. in patres 2); aeterni (epp. 1, 14; 2, 8); venerabiles (laud. Valent. 2, 6); Deo proximi (laud. Valent. 2, 6); eorum decreta appellantur oracula divina (ep. 10, 50); divina vel Deo proxima (ep. 10, 39); coelestis oratio (ep. 1, 13); divalia scripta (ep. 10, 47).

2) *Amicorum:* amplitudo (ep. 2, 21); celsitudo (ep. 10, 1); dignatio (epp. 2, 10; 8, 44); excellentia (ep. 5, 46); eximietas (ep. 3, 3); praestantia (epp. 8, 54; 7, 102); reverentia (ep. 8, 24); sanctitas (ep. 6, 19); unanimitas (epp. 1, 16; 5, 49). Appellantur secundum aetatem aut fratres (epp. 1, 16; 1, 19; 1, 28; 1, 36; 1, 39), aut filii (ep. 2, 14), etiam dominus et frater (ep. 5, 34). Filii ipsius constans appellatio est amabilitas.

Verba.

Notabilia:

defit: ep. 5, 89: plerumque enim scribendi cupidis defit occasio; ep. 1, 50,
deterioro: ep. 4, 68: deterioratae rei aestimatio,
fors fuat an: epp. 1, 21; 1, 39; 3, 6; ep. 1, 3: fors fuat huiusce promissi,
obvio: ep. 9, 30: cum possim tibi legibus obviare,
paritum: ep. 10, 43: suggestum est, paritum esse sententiae,
positus vice fungitur participii verbi esse: incoram positus epp. 9, 88; 10, 7; similiter „locatus“ ep. 5, 30: peregre locati.

Participia cum verbo coniuncta in locum verbi solius succedunt:

ep. 4, 25: etiam cum scripti abstinens sis,
ep. 9, 38: complacitus mihi est,
ep. 1, 88: neque tui amoris esse diffidens.

Differentiae constructionum:

astipulor c. gen. ep. 2, 1: ego Lucillum modestiae merae atque honestatis astipulor,
consulo in alqm. = alicui ep. 1, 22: quando ita animatus es, ut sponte in rem meam consulas; ep. 1, 11,
cupio c. gen. ep. 1, 8: vestri cupiunt Lucrina tacita,
decoquo de ep. 1, 1: dehinc quod iactantia avara laudis multum decoquit de pudore,
delector c. gen. ep. 2, 88: honoris tui, quo nunc auctus es, et continui in me amoris delector,
dissentio c. gen. ep. 1, 15: viri, qui inter se aliarum rerum saepe dissentiunt,
gratulor c. gen. ep. 1, 91: ut tibi gratuler sospitatis,
incesso c. gen. = accuso ep. 1, 5: nequicquam taciturnitatis incessimur,
insipio c. gen. ep. 1, 8: mentis insipere,

parco in alqm. ep. 1, 88: nunquam in me parcam, quin tuo animo obsequar,
sitio c. gen. ep. 1, 33: aiunt cochleas, cum sitiunt aeris,
desino ep. 1, 63: mihi haec opera desinenda est,
fruor ep. 1, 7: ut autumni bona raptim fruamur; at legitimo casu coniunctum habetur ep. 3, 16,
fungor ep. 1, 64: functus officium, epp. 1, 18; 1, 46; 3, 2; 9, 86,
gaudeo ep. 3, 29: verum ista pars gaudenda mihi potius, quam producenda est; ep. 9, 86: ut commoda nostra mutuo gaudeamus,
ignosco ep. 1, 19: vereor, ne excusatio mea ignoscenda non sit; ep. 4, 55,
impertio alqm. alqua. re ep. 1, 3: vos munere salutationis impertio,
incido ep. 7, 38: quid amaritudinis incidissem; ep. 2, 18,
persevero ep. 1, 96: vale, et ut es nostri diligens, religiosam observantiam persevera; epp. 1, 41; 9, 84,
pigeo ep. 9, 64: prolixus in hac conquestione esse nunc pigeo,
poeniteo ep. 1, 1: sed video, opusculum non esse poenitendum,
potior ep. 1, 18: potiris merito summa iudicia; ep. 1, 95: olim cum res Romana adoreae militaris potita est.

Differentiae significationum:

accomodare = commodo accedere, ep. 1, 17: huic si fautor accesseris, futurum reor, ut illi pro labore fructus accomodet,
antiquare, non ad leges solum relatum, significat tollere, ep. 3, 9: memoriam praeteritae intermissionis antiquavit gratia recentis officii,
applicare = dare, tribuere ep. 3, 16: nolo applicare hanc moram negligentiae,
auspicari = initium facere ep. 8, 56: ut domo profecti litteras auspicentur = initium faciant scribendi,
conveniri = impelli ep. 1, 16: saepe unanimitatis tuae sermone convenior, ut . . .,
discere = cognoscere ep. 8, 14: postquam valere vos didici; epp. 7, 123; 9, 22; 9, 83,
edecumare = decimum, optimum quemque eligere; edecumatus = praestantissimus, ep. 3, 49: viros edecumatae honestatis; ep. 3, 51,
fungi = perferre ep. 1, 48: sic nati sumus, ut saepe adversa fungamur,
ingerere = communicare ep. 1, 16: eam rem mihi supersedit ingerere,
insinuare = commendare ep. 1, 40: amicum meum promptus commendator insinuo,
movere = moveri ep. 1, 3: nam postquam terra movit,
rumino = retracto ep. 1, 53: libris veterum ruminandis libenter expendis,
scio = novi ep. 2, 31: scio te amicum,
secundare = secundum, propitium esse ep. 10, 19: salutem mihi nuntio secundare,
ventilare = considerare laud. Val. 2, 10: ventilemus prisca monumenta, scrutemur annales.

Participia substantivorum loco posita:

cupita: ep. 3, 46: ex sententia mihi cupita cuccedunt,
gesta: ep. 2, 38: ex ipso Romae gesta noscetis,
orata: ep. 1, 77: amicorum orata curare.

dictiones insolitae:

alloqui per epistolas, ep. 3, 70,
pecuniam fatigare = insumere, ep. 1, 3: privatam pecuniam pro civitatis ornatu certatim fatigant,
litteras invadere, ep. 8, 27,
invitantia loqui = invitatum aliquem esse velle, ep. 1, 8,
verecundiam onerare, ep. 7, 60,
verbis tripudiare, ep. 9, 28,
promissa vacuare = vana reddere, ep. 6, 59.

Substantiva.

Notabilia:

antiquitas = studium, amor, ep. 3, 73: nam cum tanta tibi sit eius antiquitas; ep. 1, 79,
auspicium = initium, ep. 8, 60: auspicium salutationis,
autumnitas, ep. 3, 23: nos . . . rusticamur et multimodis autumnitate defruimur,
censio = censura, ep. 1, 3: hanc apud vos esse de nostris epistolis censionem,
dictio salutis = salutatio, ep. 1, 86: commisi eventui sollemnem hanc et simplicem dictionem salutis,
enormitas, ep. 10, 49: auri enormitate crescente,
expostulatus, ep. 9, 13: modum igitur expostulatibus mutuis facio,
frux, ep. 9, 62: habes iuvenem, cuius fruge gaudere debeas,
hilaritudo, ep. 3, 75: sed ego hanc hilaritudinem cumulari posse coniecto,
incentor, ep. 7, 99: magnus autem diligentiae incentor est amor tuus,
inspectio, ep. 7, 123: morum eius inspectio,
itiones longas et mansiones asperas et accessiones frigorum et decessiones dierum . . . vitavi, ep. 1, 75,
placibilitas, ep. 1, 19: sed si mihi placibilitas tua experiundo probe cognita est,
portio = pars, ep. 3, 66: pectoris mei portio,
portitor = tabellarius, ep. 6, 56: litterae, quae si casu aliquo aut negligentia portitoris elapsae sunt,
praedecessor, ep. 10, 40: vir illustris, praedecessor meus, Anthemius Bassus,
precicula, deminutivum precis, ep. 10, 11: per amicum communem . . . preciculas misi,
scitamenta, ep. 1, 23: tu mihi mensas secundas et scitamenta exiguae lancis apponeres,
senium = taedium, ep. 2, 17: tibi peregrinationem senio esse,
spebus, ep. 5, 48: ne . . . spebus illius inanis exitus illudat,
suffragium = tutela, ep. 7, 116: parvulis et parentum suffragio destitutis; ep. 9, 47: quem respicit imperiale suffragium,
summates, ep. 1, 15: summates litterarum,
sutela, ep. 5, 54: multis eiusmodi sutelis foro cognitus,
techna, ep. 6, 78: mimica usus est techna,
tricinium, ep. 1, 47; tricinium semivolucrum puellarum,
tristitudo, ep. 3, 21: fortasse etiam vestram hilaritatem mea tristitudo contraheret,
valentia, ep. 8, 31: quae bona reducere solent valentiam corporis.

Substantiva verborum loco posita:

ep. 1, 42: publici muneris absolutionem requirere,
ep. 7, 112: meae preces in augmentum commendationis accedunt,
ep. 3, 72: cuius considerationem ut habeas commonere non audeo,
ep. 10, 18: amicitiae nostrae contemplationem gerere,
ep. 1, 99: si mihi apud amicum testimonii dictio est,
ep. 1, 34: adeo mihi veteris in te amoris nulla discessio est,
ep. 3, 39: morbo diuturnitatem dare,
ep. 7, 83: cuius rei executionem miror esse difficilem,
ep. 9, 88: iam remota est causa haesitantiae,
ep. 9, 42: declive ad impetrationem videtur,
ep. 4, 51: res impetratione difficilis est,
ep. 3, 73: amici inopiam .... rei familiaris integratione solare,
ep. 1, 11: ne mihi dicti huius posthac sit negatio,
ep. 1, 10: sine offensa vestri silentii = non offensi vestro silentio,
ep. 7, 125: addas inchoato beneficio perfectionem,
ep. 1, 1: non quod eius diversorii satias ceperit nos,

ep. 1, 35: occasione carui scriptionum = scribendi,
ep. 7, 62: cui suffragio est = quem iuvat,
ep. 3, 79: primis quidem litteris tuis vicissitudinem mox rependi.

Substantiva adiectivorum loco posita:

ep. 6, 80: petentes, ut susceptionis benignitate oblationis exilitas augeatur,
ep. 8, 70: sinat fortunae benignitas,
ep. 3, 19: diuturnitatem silentii rupisti,
ep. 1, 31: eruditionis tuae scripta,
ep. 10, 16: audientiae facilitatem mereri,
ep. 7, 34: salutationis honorificentiam praelocutus,
ep. 9, 57: moris mei est,
ep. 9, 12: equorum curulium paranda nobilitas est,
ep. 1, 10: quare animus est amoliri aedium senectutem.

Adiectiva.

Notabilia:

aliquanti = aliquot, ep. 10, 78: armati servi telis, aliquanti etiam ferro; ep. 10, 78: ex quibus aliquanti cogniti; ep. 10, 81.
amnicus, ep. 1, 14: unde illa amnicorum piscium examina reperisti?
anterior, ep. 6, 59: anteriores litterae tuae,
aspernabilis, ep. 2, 72: credo tibi iudicium meum aspernabile non videri,
cascus, ep. 1, 4: quod haec aeque obvia, nec tamen casca sunt,
celsus, ep. 3, 69: Flavianum, celsum virtutibus et honoribus virum,
corporalis, ep. 6, 41: cuius corporales querelas praestat silere,
creper, ep. 1, 1: res crepera atque anceps,
delenificus, ep, 3, 16: delenifica et suada facundia,
divalis, ep. 10, 49: vis remedii divalis infracta est,
dives, ep. 10, 35: non quia divitis metalli (= auri) honore gaudetis,
eventilatus, ep. 1, 15: vix soluto coetu necdum eventilatam auditionis meae fidem iudicio calente dictavi,
finalis, ep. 4, 71: fuit autem matri eius cum procuratore tuo finalis in Sicilia quaestio = lis de finibus,
gratiosus, ep. 4, 46: non gratiosus (= minime ambitiosus) laudator,
imperialis, ep. 9, 47: quem respicit imperiale suffragium,
insubidus, ep. 1, 3: litteras meas tibi insubidas non videri,
intramuranus, ep. 10, 37: si melioribus viris officia intramurana mandetis,
irreverens, ep. 8, 28: non eris tam irreverens,
iugis, ep. 4, 15: iugis gratia; ep. 9, 20: iugis memoria; ep. 10, 34: iuge obsequium,
litterarius, ep. 5, 27: amicum tibi cum litteraria salutatione restituo,
obvius, ep. 6, 24: obvio amore suscipio aliquem,
paupertinus, ep. 1, 14: ego qui sum paupertini ingenii mei mihi conscius,
pauxillus, ep, 1. 10: ut hoc pauxillum tempus .... sine offensa ... transigamus,
penetralis, ep. 4, 46: eos penetrali familiaritate dignare,
pensus, ep. 1, 43: iudices de eo examine pensiore,
rationabilis, ep. 8, 40: quid enim tam rationabile est,
reciprocus, ep. 3, 71: redditurus reciproca gaudia,
solox, ep. 1, 1: quare elaboratam soloci filo accipe cantilenam,
summas, ep. 1, 31: eapropter in comoediis summatem quidem gloriam scriptores tulerunt,
temporalis, ep. 5, 89: nec tamen amicitiae memoria temporali silentio senescit; ep. 7, 131: cogita enim, non quid temporali causae, sed quid perenni amicitiae debeatur,
unanimis, ep. 7, 83: pro amico atque unanimi meo Iucundo,

voluptabilis, ep. 7, 98: adicio, ut in reliquum frequentare digneris munus voluptabile.

Differentiae constructionum:

acceptus c. gen. ep. 1, 93: virum bonis omnibus merito suae sedulitatis acceptum,
ambiguus c. gen. ep. 8, 62: non sum opinionis ambiguus,
confirmatus animi, ep. 1, 17: qui satis confirmatus animi est; ep. 7, 113,
cupiens c. acc. ep. 1, 27: me te oppido esse cupientem,
dubius c. gen. ep. 1, 101: nam quid agam fortunae dubius,
falsus c. gen. ep. 8, 21: indulgere te otio opinionis falsus putabam,
fessus c. gen. ep. 1, 13: nam tabellarius vigiliarum fessus adstabat,
incertus c. gen. ep. 1, 31: quid igitur magis mirer, sententiae incertus addubito, ep. 1, 25: quaero igitur incertus animi,
integer c. gen. ep. 1, 101: auspiciis tuis quivis fati integer amicus intersit,
laetus c. gen. ep. 1, 27: sum vero praesentium laetus,
nescius c. gen. ep. 5, 66: externos quoque et memorati viri nescios causae urit indignitas,
notus c. gen. ep. 2, 63: suscipe igitur, oro te, notum militiae virum,
pauper c. gen. ep. 1, 23: sed cur ego diutius sermonis pauper obgannio,
promptus c. gen. ep. 1, 1: malo esse promptus officii,
servilis ausus = servorum licentia, ep. 1, 74: id ego ... servili ausu clam te opinor admissum.

Neutrum adiectivi loco adverbii:

ep. 1, 8: Bauli magnum silentes,
ep. 5, 41: impunitas magna peccantium,
ep. 7, 23: longum fruar otii possessione,
ep. 5, 77: longum siles,
ep. 1, 7: quousque longum loquor.

Neutrum adiectivi loco substantivi:

ep. 3, 17: ne animum tuum contrahant amara sermonum,
ep. 6, 77: quamvis ultro scripserim, doloris mei adversa tenuari,
ep. 9, 86: virtus ... maximo sudore arduum laudis adnititur,
ep. 4, 47: cetera morum probavi,
ep. 7, 16: tabellarius tuus, excitus ... valetudinis tuae dubio,
ep. 8, 14: amicitiae inter negotiorum dura meminisse,
ep. 1, 40: quem ad hoc aevi nulla actuum culpa fuscavit,
ep. 2, 36: ubi primum ex incerto morbi parens communis emerserit,
ep. 1, 90: fit ... ut levia rerum portitor festivus exornet,
ep. 7, 38: ne tuum iter in Campaniae longingua sequeremur,
ep. 10, 54: inter multa curarum,
ep. 3, 74: multa in te virtutum natura congessit,
ep. 4, 16: inter praecipua gaudiorum numero litteras tuas,
ep. 2, 48: ad tertium Nonas Oct. primo lucis respondi litteris tuis,
ep. 6, 78: vos in propinquo urbis celebriore fama rerum agitis,
ep. 1, 16: quod prospera nuntiorum clam me esse non pateris,
ep. 2, 8: omnia enim, quae de amplitudinis tuae prosperis nosse cupiebam,
ep. 1, 10: facite vicissim vestrae salutis atque actuum prospera noverimus,
ep. 5, 73: cum ad proxima urbi digrederer,
ep. 6, 65: pars ista solatii curarum quoque mearum reliqua mitigabit,
ep. 1, 95: Polluces gemini apud Iuturnae lacum proelii secunda vulgarunt,
ep. 1, 11: num constantiam decreti rerum subita turbassent,
ep. 3, 15: ne forte reditum nostrum aevi tui subita praevortant,
ep. 3, 23: ad arborum summa perrepunt,
ep. 2, 36: an tibi urbanorum tanta vitatio est,
ep. 9, 119: Inter haec opinionum varia dubitavi.

Praepositiones.

Verbis vel nominibus praepositae sine significationis mutatione:

admorsus, ep. 1, 31: ne libellus tuus admorsu duri dentis uratur,
complacitus, ep. 9, 38: Antistianus ... mihi complacitus est,
condecet, ep. 7, 55: saepe nos, ut condecet, litteris muneraris,
confore, ep. 4, 68: credo confore, ut meae petitioni favor vester arrideat,
defruor, ep. 1, 51: non potest bene defrui otio; ep. 3, 23: nos hic in otio rusticamur et multimodis autumnitate defruimur,
depostulo, ep. 9, 52: post haec depostulo,
depropero, ep. 9, 24: quo magis autem redire deproperes,
distimulo = incito, ep. 5, 94: teque ad hoc studium distimulo; ep. 4, 26: amore distimulor,
exambio, ep. 9, 25: exambirem super his nimio precatu gratiam tuam,
exortus, ep. 10, 35: ab exortu paene urbis,
incoram, ep. 10, 7: quomodo enim praeciperes quod incoram positus improbasti.
obversari, ep. 3, 1: ruri hucusque obversatus,
protestor, ep. 1, 16: agere me atque habere gratias protestor.

Differentia significationum:

circa, ep. 7, 127: promptiorem me circa Herennii laudabilis viri defensionem indicia vestra fecerunt,
super = de, ep. 1, 70: super ea re scribere; ep. 1, 90: super talis viri laude putavi gratulandum; epp. 1, 15; 1, 25; 1, 34; 7, 110.

Praepositiones aliorum vocabulorum loco positae:

ep. 4, 36: speravi de proximo litteras tuas,
ep. 6, 20: mox cum germanus tuus de proximo, ut ais, speratus affuerit,
ep. 10, 55: frumenti quotidianus usus in facili est,
ep. 8, 27: saepe titubantia in solidum reverterunt,
ep. 9, 30: opto quidem, te in tantum (= eo usque) copiis pecuniae familiaris affluere, ut.

Adverbia.

Notabilia:

abundantissime, ep. 10, 10: abundantissime gaudeo, tibi esse curae, ut,
aequanimiter, ep. 4, 10: an existimas neglectum familiaris officii aequanimiter a me posse tolerari?
apprime cum verbo coniunctum, ep. 1, 3: apprime calles epicam disciplinam,
clam aliquo esse = alicui ignotum esse, ep. 4, 70: atque ideo clam te esse non patior; ep. 1, 15,
dignanter, ep. 5, 65: quaeso igitur, ut humanitatem .... nostri ordinis editoribus dignanter impertias,
gratanter, ep. 7, 76: ut hanc honorificentiam dignemini gratanter amplecti,
incunctanter, ep. 4, 60: pretia ... numeranda familiares mei incunctanter exsolvent,
pollucibiliter, ep. 3, 24: quod fortunae tuae pollucibiliter floruerunt, meum duco compendium,
proquam = prout, ep. 1, 18: non satis mihi viderer proquam res postulat fungi debitum meum.

Sed haec hactenus. Alia alio, si diis placuerit, loco addemus.